

Heinrich Valentin Becker

Dissertatio Academica De Dignitate Honore Atque Existimatione

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCLXXXVIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003395600>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 1789

Becker, Hen. Valent.


Un Rost 1789

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
DIGNITATE HONORE
ATQVE
EXISTIMATIONE




QVAM
ACADEMIA ROSTOCHIENSI PERANTIQUA
FELICITER RESTAVRATA

PUBLICAVIT
HENRICVS VALENTINVS BECKER
PHIL. D. ET PROF. ORD. ET AD AED. IAC. PAST.



ROSTOCHII
ANNO MDCCLXXXVIII.



TYPIS ADLERIANIS.

1871/1872

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
DIGNITATE HONORE
ATQUE
EXISTIMATIONE

QUAM

Contenta fama virtus contemnitur.

ACADEMIA ROSENTHALIANA

TACITVS.

FELICITER RESTAURATA

PUBLICAVIT

HENRICVS VALENTINVS BECKER

PHIL. D. ET PRON. ORD. ET AD ALI. FAC. SENS.



ROSTOCHII

ANNO MDCCLXXXVIII

PHYSICIS ACADEMIIS

CONSPECTVS.

- Introitus* §. 1. 2.
Dignitas naturalis connata et acquisita §. 3.
Dignitas arbitraria connata et acquisita §. 4. 5.
Obligatio ad dignitatem naturalem comparandam §. 6.
Dignitas naturalis quando homini sit dedecori §. 7.
Obligatio ad dignitatem arbitrariam sibi parandam §. 8.
Dignitas arbitraria quando homini sit opprobrio §. 9.
Gradus dignitatis naturalis §. 10—12.
Vtrum dignitas naturalis praestet arbitrariam §. 13.
Honor naturalis et arbitrarius, internus et externus §. 14—16.
Honor naturalis a quo dependeat §. 17.
Quaenam maxime perfectiones honore dignae sint §. 18.
Honor arbitrarius externus §. 19. 20.
Honor bene fundatus et minus fundatus §. 21.
Honor debitus, iusto maior, iusto minor §. 22.
Honoris externi diuersitas §. 23.
Obligatio naturalis ad quendam honorandum §. 24. 25.
Obligatio ad alium honorandum positiua §. 26.
Vtrum honore naturali dignus honore arbitrario prosequendus sit et v. v. §. 27.
Signa honorum naturalia et arbitraria §. 28. 29.
Vtrum qui signo gaudet honorum, et dignitate signo indicata caret, honorandus sit §. 30.
Id curandum nobis est, vt apud alios simus in honore §. 31.
Gradus honoris §. 32.
Honor arbitrarius quaerendus est §. 33.

*Virum obligatio requirat, saltem licitum nobis sit, titulos et signa
honorum ambire §. 34.*

Existimatio naturalis et civilis, simplex et intensua §. 35.

In statu naturali omnes sunt eiusdem existimationis simplicis §. 36.

Non autem eiusdem existimationis intensuae §. 37.

In ciuitate omnes ciues sunt eiusdem existimationis simplicis §. 38.

Sed non omnes habent existimationem intensuam §. 39.

Gradus existimationis intensuae §. 40.

Homo naturaliter infamis non semper est ciuilitate infamis et v. v.

§. 41.

Defectus existimationis intensuae non est infamia §. 42.

Corollaria ex notione existimationis §. 43.

De iniuria §. 44.

De defensione honoris et famae violenta §. 45.

Vtrum ad alapam amoliendam moderamine inculpatae tutelae uti

liceat §. 46—49.

Vtrum ob alapam acceptam occisio licita sit §. 50.

De duellis §. 51.





§. I.

Quam de *dignitate* atque *honore* acturi sumus, praemitti debet, harum vocum non esse perpetuam rationem, sed significaciones earum vehementer variare. Ex usu populi tam hominis perfectiones et quas ante alios habet, praerogatiuae, quam existimatio perfectionum illius bona, et reuerentia illi debita, omnesque actiones quibus illas declaramus, *honor* appellantur. Philosophi autem accuratiorem huius vocis notionem instituentes, non vtuntur voce *honoris*, nisi de existimatione perfectionum hominis eiusque significacione, nec sine causa, siquidem ipsas hominis perfectiones, ob quas in honore eum habemus, bonamque existimationem rectius *dignitatem* eius denominamus. Immo distinguunt *existimationem* ab *honore*, illam in iudicio de perfectione aliorum, hunc in actionibus externis, quibus existimatio significatur et illi perfectiores declarantur, consistere recte affirmantes ^{a)}.

^{a)} Wolf in *Iure Naturae* §. 538. ACHENWALL in *Prolegom.* I. Nat. §. 72. et *Iure Nat.* §. 101.

§. II.

In eo quoque consentire Doctores, tantum non omnes, videntur, nullas perfectiones homini dare dignitatem atque valorem, et ob nullas

cum honore et existimatione dignum esse, nisi quas sibi ipse debet et libere agendo sibi acquisiuit, quas *morales* vocant. Hocce caractere nonnulli *a)* notionem honoris delineant, quum alii *b)* non dicam expressis verbis affirmant, honorem nos non nisi perfectionibus hominis moralibus debere, suas tamen honoris notiones ita applicant, ut cognitu facile sit, pro eorum sententia neminem in honore esse habendum, nisi moralibus gaudeat perfectionibus. Sunt tamen aliter sentientes, *c)* nec solas *morales*, verum etiam alias, quibus quis super ceteros eminet, perfectiones laudem mereri atque honorem adfirmantes; in quorum et ego non potui non ire sententiam. Si enim nullae nisi *morales*, quas vocant, virtutes atque perfectiones dignae sunt, quae aestimentur et honorentur: ex ingenio, intellectu, iudicio aliisque praeclaris animi dotibus, ex sanitate ac robore corporis, praestantia formae, nobili genere, aliisque egregiis naturae donis nullus homini erit honor, quum nullum de illis ei est meritum. Verum enimvero homini, his egregiis donis gaudenti honorem haud posse denegari, quiuis, ut opinor, sentiet. Equidem satis scio omnes in eo facile consentire, *d)* quod acumen ingenii, profunditas intellectus, et vis iudicii, litterarum studio, opera, crebraque exercitatione acquisita, aequae ac robur et sanitas corporis ex modica vita orta, ac dignitas formae, virtutis et animi tranquilli fructus, actionesque nobili genere dignae, laudi sint homini atque honori. Negandum autem illis erit, si nullas praeter *morales* perfectiones honorem dare autumant, ex omnibus hisce dotibus atque perfectionibus, quantum a sola pendent natura, honorem homini esse; quod tamen, mea pro sententia, negari nequit.

Et si nemini, nisi ob virtutes atque perfectiones *morales*, honor habendus esset: difficile foret probatu, iis, qui signa quidem ferunt honorum,

norum, virtutibus autem et perfectionibus, quas signa haecce significare solent, omnino carent, honorem haud esse denegandum. Licebit itaque nobis praecedentiam illi recusare, qui titulo muneris, quo non fungitur, a Principe est donatus; Doctorem ignorantem pro parata pecunia rite promotum, consueto doctissimi ac praeclarissimi nomine haud appellare; nobili genere natis, si vitii sunt dediti et ignobiliter agunt, non reuerentiam sed contemptum publice ostendere; immo verbis non submissis, nec capite denudato sed tecto cum Principe loqui, crudelis si ille sit in subditos atque Tyrannus; quam tamen sententiam defendere minime audeo, quum titulos, munera, nobile genus, et dignitatem hominum externam, siue polleant, siue careant virtutibus, hisce signis indicatis, nos obligare ut actionibus nostris debitum iis tribuamus honorem, omnes sunt in confesso.

Primaria autem quamobrem hoc argumentum multis adhuc obscuritatibus inuoluitur, causa est, quod *honorem naturalem* ab *arbitrario* haud satis distinxerint Doctores; et mirum est eos ad hanc differentiam non adtendisse, quum Auctor quidam anonymus e) iam ante seculum fere ita recte distinguit. Reliquas difficultates silentio praetermitto, quibus implicamur, nisi satis distincte explicetur et plenam in lucem ponatur materia de dignitate atque honore; cui vtrum maius lumen hoc libello praetulerimus, et magis ac fieri solet, eam exposuerimus, alii iudicent.

a) KOEHLER Iure Nat. §. 835 et 999. DARIUS philof. Sittenlehre §. 380. seq. alii.

b) WOLFIVS Iure Nat. Part. I. §. 538. seq. HEINECCIUS element. Iuris Nat. et Gent. §. 85.

c) Götting. histor. Mag. von MEINERS und SPITTLER II. B. 3. St. N. 4. Betrachtungen über die verschiedene Begriffe der Völker von Ehre und Schande. „Ehre drückt häufig die ausgezeichneten Rechte und Achtung aus, die man ungewöhnlichen Vorzügen des Körpers und Geistes, oder des Herzens und Glückes, oder außerordentlichen Verdiensten, sie seyn nun wirklich, oder eingebildet, zugestehet; und ehrenvoll also sind solche

solche Eigenschaften, solche Handlungen, solche Würden oder Stände, die besondere Vorrechte und Achtung verschaffen,“ Conf. etiam MEIERS Gedanken von der Ehre Hal. 1746. §. 13. ACHENWALL Proleg. Iuris Nat. §. 72. FEDERS Naturrecht §. 8.

d) Vide WOLFFII I. N. P. I. §. 649.

e) Auctor scripti: Ingeniosissimae ad magnum quendam Principem allocutiones, de vera Principum et magnatum conditione. Freystad. 1703. latino et germano sermone impressi, quod exhibuit SCHLÖZER in Staatsanzeigen. 12. B. 45. Heft.

§. III.

Dignitatem hominis omnes eius virtutes, perfectiones atque praerogativae constituunt, quae quidem vel sua natura pretium habent, vel ex arbitrio hominum. a) Illae dant homini *dignitatem naturalem*, haec autem *arbitrariam*. Dignitas naturalis ex parte a sola natura pendet, cuius donum est, et eam constituunt eiusmodi dotes, quas homo sibi ipse omnino non debet, quum nec sua voluntate, nec suis actionibus eas sibi comparavit. Huius generis sunt egregiae animi dotes, pulchra forma, sanitas et robur corporis, ingenium molle ac docile, aliaeque dotes eximiae et singulares naturae debitae; quam *dignitatem* nominabimus *naturalem connatam*. Gaudent autem homines quoque eiusmodi perfectionibus, quas quidem naturae acceptas referunt, nec nacti fuissent si minus ergo eos benigna fuisset natura, haud soli tamen naturae, sed suae simul voluntati, suae diligentiae, suis conatibus et actionibus debent. Cuius generis sunt acumen ingenii, profunditas intellectus, scientia artis, doctrina, sapientia, virtus, pietas, bene actae vitae conscientia, merita circa alios, cetera. Has perfectiones nomine *dignitatis naturalis acquisite* ab illis distinguiamus.

a) Acutissimus KANT distinguit *pretium a dignitate*, *Preisß und Würde*, nullasque hominis perfectiones, nisi morales, homini dare dignitatem seu valorem internum, defendit. „Geschicklichkeit und Fleiß im Arbeiten haben einen *Markzpreisß* (sie beziehen sich auf die allgemeinen menschlichen Neigungen und Bedürfnisse) *Witz*, lebhaftes Einbildungskraft und Laune haben einen *Affectionspreisß*, sie sind ohne ein Bedürfnis

nisi voraus zu setzen, einem gewissen Geschmack gemäß) dagegen Treue im Versprechen, Wohlwollen aus Grundätzen haben einen *innern Werth* (sie haben einen Preis der durch kein äquivalent ersetzt werden kann.“ Quae licet acute dicta sint, nos quidem reperere nolumus, siquidem vsui loquendi repugnat solas morales hominis perfectiones ad eius dignitatem referre; et quum omnes fere Doctores valorem rerum *pretium*; personarum *dignitatem* appellare solent, a recepto terminorum significato sine necessitate recedere, nobis non videtur esse Philosophi sedulo cauentis ne obscurus fiat. Vid. Grundlegung zur Metaphysik der Sitten 1786 p. 77. Conf. etiam TILLING Gedancken zur Prüfung von Kants Grundlegung zur Methaph. der Sitten 1789. p. 65.

§. IV.

Praeterea dantur affectiones, quae non nisi ex arbitrio hominum, meliorem illis gaudenti constituunt sortem, prioresque partes ei tribuunt. Non forent praerogatiuae, nisi potiores ab hominibus haberentur; nec magni essent pretii, nisi opinio et voluntas hominum pretium iis statueret. Quae praerogatiuae nomine *dignitatis arbitrariae* appellari possidentur. Qui Reges et Duces sunt populorum, principatum tenent, praefecturas habent, magistratus gerunt, muneribus publicis funguntur, officiales sunt ciuitatis, aut nobili genere nati, inclytos habent Maiores, diuitias possident, honorum nomine donati aut ordinis signo sunt vestiti, alii, illis dignitas competit arbitraria. Quod enim meliores putentur aliis eosque antecellant, ex arbitrio, voluntate et opinione hominum pendet. Quare nec omni tempore, nec in omnibus terris eadem est existimatio eiusdem dignitatis, et qui in hac magni habentur in illa forsitan flocci putantur. ^{a)} Dignitas Baccalaurei apud Germanos haud tanta est, quanta apud Sineses; ^{b)} Praefectus militum in Regnis monarchicis maioris habetur ac in democraticis; nobili genere nati in plurimis Orientis terris non melioris conditionis putantur ac alii ciues, nec in ciuitatibus imperialibus tanti habentur, quanti in aulis Principum. Quae et alia exempla satis demonstrant hanc dignitatem ex arbitrio hominum pendere.

B

^{a)} Ante

- a) Ante omnia legi meretur Götting. histor. Magazin, l. c. „Unter den aufgeklärten Nationen Europens wird kein noch so ehrenvoller Stand gefunden, der nicht in gewissen Zeiten und unter gewissen Völkern entehrend oder ehrlos gewesen wäre; und umgekehrt kein ehrloser Stand oder Handthierung ist zu nennen, die man nicht in andern Zeiten und unter andern Völkern für ehrlich oder ehrenvoll gehalten habe. Dieser Widerspruch in den Begriffen der Völker von Ehre und Schande rührt aus der ursprünglichen Verschiedenheit der Geisteskräfte von Völkern, und des Unterschiedes ihrer Ausbildung oder Nichtausbildung her. — Stände, Beschäftigungen und Handlungen werden fast niemahls nach ihrem innern Werthe oder Unwerthe, sondern fast immer nach dem Ansehen und der Verschiedenheit von Personen die sie wählten und verachteten entweder für ehrlich und ehrenvoll, oder für ehrlos und schändend erklärt.“ Quod quidem multis exemplis ab Auctore egregie in lucem ponitur.
- b) FABRI Geograph. Magazin 3. B.

§. V.

Dignitatem arbitriariam homo vel a natiuitate habet, nactus factum est secunda fortuna, et felici circumstantiarum, haud in illo sitarum, concursu; vel minus. Si prius: *dignitas arbitriaria connata* nominari potest. Regni haereditarii Reges, filii Principum Nobiliumque primogeniti, inclytorum filii parentum, haeredes diuitiarum a Maioribus congestarum, reliqui hac gaudent dignitate. Saepe autem accidit ut quis proprio Marte, suisque conatibus atque laboribus, aut ex gratia et benevolentia aliorum dignitatem obtineat arbitriariam, quam si *dignitatem arbitriariam acquisitam* vocaueris, me non habebis contradicentem. Talis est dignitas eorum qui muneribus praeficiuntur, magistratus gerunt, Reges ac Principes eliguntur, honorum gerunt nomina, opes sibi acquisiuerunt, aut alias praerogatiuas sunt consecuti.

§. VI.

Omnes obligati sumus ut dignitatem naturalem nobis comparemus. Equidem dignitas connata, quum solius naturae donum sit, in potestate nostra non est posita, et aequè minus comparari potest, ac homo he-

betis

betis ingenii inuicta Minerua sagax, aut deformis formosus euadet. Sed dotes naturales nostra opera, nostrisque conatibus et laboribus magis perficere, et ita dignitatem quaerere nostrum est, quum haec prima lex est Iuris naturalis, ut nos ipsi perficiamus. In eo itaque opera nobis danda est, ut tam corporis quam animi vires augeamus atque emendemus, et de comparanda scientia, eruditione, sapientia, habilitate, probitate, virtute aliisque perfectionibus solliciti simus, semperque perfectiores euadamus. Quumque voluntati diuinae eo magis obediens sumus, immo nostra cum Ente perfectissimo eo maior est similitudo, quo plures et maiores nobis comparamus perfectiones: religio tam naturalis quam reuelata nos cogit ad id operam dandum, ut maiorem semper perfectionem acquiramus; nec vllum maius hominis cogitari potest officium.

§. VII.

Verum enimvero saepe abutuntur homines egregiis naturae dotibus, eas non quaerentes perfectiones, quas facile acquirerent. Haud perficiunt animi dotes, nec id curant ut ediscant artes, doctrina imbuantur et sapere discant. Manent ignari, indocti, insipientes, licet ob eminentes animi dotes facili negotio solidae et magnae eruditionis ac sapientiae laude digni possent fieri. Saepe quibus nec desunt animi dotes, nec scientia et habilitas, nec sanitas et vires corporis, laborem fastidiunt, laudabilia haud peragunt, et vtilitatem aliorum non promouent, otio se dantes et ignauiae. Immo ad mala peragenda abutuntur homines egregiis naturae dotibus; saepe enim pulcher forma lasciuiae est deditus, qui sanitate et robore corporis gaudent in voluptate bachantur, et qui doctrina, ingenii acumine et praeslantioribus intellectus viribus pollent, flagitia commendant, turpes defendunt actiones,

religionem et virtutem impugnant, mala machinantur, scelera committunt, damnum dant aliis et eos reddunt infelices. Hunc in modum a gentibus *dignitas naturalis est dedecori.*

§. VIII.

Quum nemo inficias ire poterit, dignitatem *arbitrariam* magnam nobis haud raro adferre vtilitatem: hanc quoque *dignitatem nobis parare debemus.* Qui enim melior aliis creditur et inter eos eminent, licet solummodo pro opinione hominum aliis praestare credatur, frequentem sane habet occasionem suis tam, quam aliorum commodis feruendi, quae illi deesset, si hac careret dignitate. Maior ei est auctoritas, maior potestas cum dignitate coniuncta, maior etiam hominum erga eum confidentia; quae omnia aliis inferuendi et illorum aequae ac suam ipsius felicitatem augendi fauent desiderio. Quoniam autem lege adstricti sumus, vt bene agamus, aliis inferuiamus ac vtilis simus, et nostram tam, quam aliorum felicitatem, quantum a nobis fieri potest, quaeramus: de eo laborandum nobis est, vt muneribus praeficiamur, titulos nobis et auctoritatem paremus, eamque obtineamus praerogatiuam, quam magni aestimant homines, et quam pro circumstantiarum, sub quibus tenemur, ratione, ansam et occasionem nostris et aliorum commodis feruendi nobis fore credimus.

§. IX.

Hoc autem muneribus fungentibus diligenter cauendum est, *ne dignitas arbitraria illis sit opprobrio.* Quod quidem vituperium merentur si turpi ac illegitimo modo priores partes obtinuerunt, munera quaerunt quibus non sunt pares, nec satisfaciunt, auctoritate sua et potestate abutuntur, nobili suo generi inaculae sunt ac dedecori, hono-
rum

rum nomina gerunt quibus sunt indigni, et in vniuersum, nec suae nec aliorum felicitati seruiunt, licet data iis sit opportuna occasio atque facultas; immo sibi ipsis et aliis sua imprudentia, stultitia, iniustitia et impietate damnum, detrimentum, infelicitatem ac perniciem contrahunt.

§. X.

Quando a solo hominum arbitrio pendet quod alter alteri praeslet atque pretio antecedit; dignitatis arbitrariae gradus in sententiis hominum positi sunt, nec nisi ordinis et locorum dispositionibus, legibus arbitrariis et consuetudine definiuntur. Philosophus itaque gradus dignitatis arbitrariae definire nequit ^{a)}; quare de solius *dignitatis naturalis gradibus* dicendum nobis erit.

In quaestione est: Quaeenam donorum naturae primas partes habeant; vtrum animi, an corporis? Equidem non dubito fore omnes, qui vno ore confiteantur, dona animi multo praestantiora esse corporis perfectionibus. Vtrum autem omnes sibi persuadeant, intellectum pulchritudini, animi dotes corporis suauitati, doctrinam robori, sapientiam sanitati palmam praeripere, de eo valde dubito. Multos saltem deprehendimus de pulchritudine corporis conseruanda, sanitate tuenda, et venustate augenda valde sollicitos, qui scientiae, eruditionis, virtutis, pietatis curam haud habent.

Ego quidem magnopere censeo dotes animi inter perfectiones naturales *conmatas* omnino eminere, et corporis perfectionibus esse praestantiores, siquidem illis reliquas res creatas superamus, et illorum vsu felicitatis, cuius bruta haud sunt capacia, participes reddimur. Equis enim maior dignitas ac praerogatiua cogitari potest, quam si Deum cognoscimus, amamus, veneramur, opera eius contemplamur,

vera a falsis distinguimus, recte iudicamus, causas rerum scrutamur, ratiocinamur, scientias ediscimus, et ita agimus, vt tranquillitate fruamur animi Sanctissimoque placeamus. Quare maior homini gloria oritur ex iis intellectus et animi donis naturalibus, quae hos fructus produciunt, quam ex egregiis corporis dotibus, et vires animi plus valent quam corporis.

a) Definiuit tamen GLAUFY im Rechte der Vernunft, III. Buch 3. Cap. §. 49—119. sed valde dubito multos de eius dispositione et ordinis loco, quem cuique assignauit, fore contentos.

§. XI.

Verum enimvero quod ad dotes *acquisitas* attinet, vix ac ne vix quidem definiri poterit, quatenus alteri palmam praeripiat. Equidem spero fore vt omnes in eo consentiant, nihil prius habendum esse virtute et sapientia, quae super omnes hominis dotes eminent atque perfectiones. Virtus enim et vera sapientia, quum ab iniustus, iniquis, flagitiosis, malis ac insipientibus nos cohibet actionibus, nosque eo ducit vt honesta, sancta et proba agamus, ac nostram tam, quam aliorum salutem curemus; praeterea animum reddit tranquillum, nos autem Deo gratos omnibusque bonis acceptos, ob egregia sua confectionaria maximam nobis dat dignitatem. Quod eo luculentius patet, quoniam deficiente virtute praestantissima naturae et fortunae dona, immo excellentiores animi et corporis dotes, habilitates atque perfectiones nobis ipsis tam, quam aliis perniciem esse possunt a).

Ecquae autem reliquarum perfectionum alias superet, et magis digna sit vt ad eam contendamus, vt ego quidem arbitror, definiri nequit. Nisi omnia me fallunt perfectiones, ex quibus maior nascitur felicitas, palmam merentur. Sed quum hic felicitatem adipiscitur doctrina sua ac eruditione, ille artium scientia, alter robore aut habilitate

cor.

corporis, alter alia perfectione acquisita: ex circumstantiis, sub quibus homo est constitutus, externis diiudicandum erit, quasnam potissimum perfectiones concupiscere atque amplexari debeat. Praeterea haud raro accidit vt defectus vnus perfectionis, licet aliae non desint, homini impedimento sit ad bene beateque viuendum. Cui enim bono est viro docto ampla et solida eruditio, si sanitatem corporis haud curans valetudine laborat; aut mulieri scientia litterarum, si liberos educare et cibos praeparare ignorat, aut operum manuariorum foeminis scitu necessariorum est imperita. Inde patet quidem regula: Non separanda esse homini officia sua, eoque videndum vt omnibus satisficiat, atque tot ac tantis perfectionibus studeat, quot et quantas acquirendi data ei sit potestas et occasio; gradus autem dignitatis naturalis definire omnino non audeo *b*).

a) Conf. deutsches Museum 6. Stück 1788. Zweiter Versuch über die Grundlegung zu einer Metaph. der Sitten des Herrn Prof. Kant. p. 548.

b) Laudatus MEIER Abhandl. von der Ehre §. 66. in his gradibus definiendis laborauit „Die menschlichen ehrwürdigen Vollkommenheiten lassen sich mit einander vergleichen, um dadurch zu erforschen welcher vor der andern der Vorzug gebühret.

1. Die moralischen Vollkommenheiten sind jederzeit grösser als die physischen.
2. Die innern Vollkommenheiten sind grösser als die äusserlichen.
3. Die Vollkommenheiten der Seele sind grösser als die Vollkommenheiten des Körpers.
4. Die Vollkommenheiten der obern Kräfte der Seele sind grösser als der untern Kräfte, weil sie edler sind.
5. Die Vollkommenheiten der Freyheit sind grösser als alle andere. Die Tugend ist demnach die ehrwürdigste Vollkommenheit.“

Vt de hisce regulis dicam quid sentiam, notabo: *Vltimae* MEIERI regulae lubens adsentior, et ipse iam confessus sum, virtutem omnibus perfectionibus palmam praecipere, et cui studeamus, esse longe dignissimam, maximamque nostram felicitatem ex virtute oriri. *Secundam* regulam praetereo, quoniam sermo mihi est de dignitate naturali, externae autem perfectiones ad dignitatem arbitrariam referendae sunt, quam inferiorem esse naturali, haud in dubium venit. Reliquae autem regulae in abstracto verae sunt, nec aliud quid ex demonstratione Auctoris apparet. Perfection-

fectiones morales physicis praestare, perfectiones animi perfectionibus corporis, perfectiones facultatum superiorum perfectionibus inferiorum mentis facultatum, si in se et in abstracto uti dicunt, considerantur, nemo facile in dubium vocabit.

Caue autem ex hisce regulis cum Auctore consequentiam ducas: Quum hominis sit maioribus perfectionibus magis studere, ac minoribus, officium eius esse ut in collisione perfectionum moralium, animi, aut superiorum facultatum, cum perfectionibus physicis, corporis, aut inferiorum mentis facultatum, has missas faciat, et eo nitatur ut illas acquirat. Ad statum enim hominis, et circumstantiarum sub quibus positus est, rationem omnino respiciendum est responsum daturum ad quaestiones: Quanam perfectionum homini maxime quaerendae sint? quanam maiorem ei largiantur felicitatem? quarum acquisitione officio suo magis satisfactorius et utilitatem hominum magis promoturus sit? quarum possessio ei maiorem laudem et aestimationem sit paratura? Si ad has respondere quaestiones, regulas METERI sine exceptione atque circumscriptione valere, valde dubito; immo prorsus persuasum mihi est nonnunquam perfectiones physicas moralibus, perfectiones corporis perfectionibus animi, perfectiones inferiorum facultatum mentis perfectionibus superiorum esse praefereudas, et praestantiorum esse hominis dignitatem, si neglectis perfectionibus, quae in abstracto maiores sunt, iis studet, quae pro statu suo et circumstantiis sub quibus tenetur, sibi et aliis maiorem parant felicitatem.

§. XII.

Non alia itaque, mea quidem pro opinione, locum habet regula, nisi haec generalis: Quo plures homini sunt egregiae dotes, virtutes atque perfectiones, quo maiores sunt ac eminentiores, quo maiorem praebent utilitatem, quo maiora eius merita, quo maior ipsius opera se aliosque feliciores reddendi, quo maior fructus ex hoc studio nascens ^{a)}, eo maior est dignitas ipsius naturalis ^{b)}.

a) KANTIVS l. c. negat, hunc fructum in computationem venire. „Der Werth von dem was Würde hat, bestehet nicht in den Wirkungen die daraus entspringen, im Vortheil und Nutzen den sie schaffen, sondern in den Gesinnungen, d. i. den Maximen des Willens, die sich auf diese Art in Handlungen zu offenbaren bereit sind, obgleich auch der Erfolg sie nicht begünstigte“ Equidem lubens concedo, valorem actionum praefertim ex voluntate agentis, non ex solis effectibus et consecutiis esse diiudicandum, quae saepe a circumstantiis externis, nec in agentis potestate sitis pendent; ut dicitur; in magnis voluisse sat est. Quantitas tamen mora-

moralitatis actionis, tam bonae quam malae, a consecrariis quoque pendet, nec iis solum quae ab agente intenta sunt, sed et quae praevidere potuit licet non intenderit. Quare consecraria actionum moralium non omnino praetereunda, sed simul ad fructum ex studio utilitatem et felicitatem promovendi nascentem, respiciendum esse gradus dignitatis personarum definiendi, opinor.

b) Vid. tamen MARMONTEL Fragmens de Philosophie morale, in libro eius Belisaire 1768. p. 265. seq. et ABT vom Verdienste.

§. XIII.

Facilior videtur responsio ad quaestionem: *Vtrum dignitas naturalis praestet arbitrariam?* Equidem haud paucos inuenies, qui nobile suum genus, diuitias, titulos, munera aut ordinis signa multo maioris habent omni dignitate naturali, et illis virtutem, sapientiam, eruditionem, merita, habilitatem, et reliquas perfectiones naturales acquisitas, immo integritatem cordis, innocentiam morum, intellectum, pulchritudinem, ceteraque naturae dona connata longe cedere opinantur. Quos quidem deridet sapiens, et sortem eorum commiseratur, quum tantum pretium rebus tribuunt, quarum valor a sola hominum pendet opinione. Nihilo secius affirmari nequit naturalem dignitatem semper praestare arbitrariam, et sine vlla exceptione felicitatem hominum magis amplificare. Opes enim cum pulchritudine et morum suauitate, munus quaestuosum et honorificum cum doctrina haud vulgari, titulos cum solida artium scientia comparantes, haud raro videmus, meliorem esse sortem puellae diuitis quam formosae et amabilis, viri muneri publico praefecti quam praeclare eruditi, hominis titulo donati quam solide docti, et multos meliori fortuna uti ob dignitatem arbitrariam, quam alii ob naturalem. Notum est brocardicon: virtus laudatur et alget, cuius veritatem quotidiana docet experientia.

C

§. XIV.

§. XIV.

Iam de *honore*, quem aliis habemus. Honor est iudicium nostrum fauens de aliorum virtutibus, perfectionibus atque praerogatiuis. Quod quidem iudicium vel est confectarium naturale virtutis praestantioris quam in homine deprehendimus, et dotium quibus ornatus est eximiarum et singularium; vel pro arbitrio et voluntate hominum ita de eo et eius praerogatiuis iudicandum nobis est. Illum *honorem naturalem* vocamus, hunc *arbitrarium* ^{a)}. Actus quo quis perfectior aliis declaratur, et fauens nostra de eo sententia significatur, *honor est externus*; et speciatim *laus*, si tale iudicium verbis exprimitur. Ipsum autem fauens nostrum de cuiusdam perfectionibus iudicium est *honor internus*, seu existimatio bona ^{b)}. Ex quo patet, tam honorem naturalem, quam arbitrarium esse vel internum vel externum ^{c)}. *Laus* nostra si honori interno respondet, in quo alterum habemus, est *vera*; laudes autem adulatorum sunt *simulatae*. Quare honor externus maior esse potest interno. Nec minus accidere potest, vt laudes atque honores externi minores sint interno quo alios prosequimur honore, siquidem variae esse possunt causae, ab quas fauentem nostram de iis sententiam aestimationemque nec verbis, nec aliis actionibus manifestamus ^{d)}.

^{a)} Si Auctor tractatus: *Ueber die Ehre* in der Monatschrift von und für Mecklenburg Iulius 1789. ad hanc differentiam honoris naturalis ab arbitrario attendisset; argumento maius lumen praetulisset, suaque omni attentione digna cogitata distinctius explicasset.

^{b)} MARMONTEL Fragmens de Philosophie morale l. c. honoris species ita definit: „L'estime est un sentiment tranquille et personnel; l'admiration, un mouvement rapide et quelque fois momentanée; la célébrité, une renommée étendue; la gloire, une renommée éclatante, le concert unanime et soutenu d'une admiration universelle. L'estime a pour base l'honneur; l'admiration, le rare et le grand dans le bien moral ou physique; la célébrité, l'extraordinaire, l'étonnant pour la multitude; la gloire, le merveilleux.“

^{c)} So.

c) Solus ille aetate ac meritis venerabilis DARIUS, quantum mihi quidem constat, *honorem internum* ab *externo* ea ratione distinguit, ut illo nomine ipsas hominis perfectiones eminentiores; hoc autem, iudicium aliorum de perfectionibus eius praestantioribus, seu existimationem bonam appellet. Verum enimvero, licet laudes nostras, et omnes quibus reverentiam alicui adhibemus, actiones merito honorem nominamus externum: mihi tamen parum congruum, saltem non satis clare ac distincte dictum esse videtur; animi nostri reuerentiam erga alterum, bonamque eius existimationem, nec actionibus externis significatam, honorem externum appellare. Rectius existimatio bona *honor* atque *veneratio*; ipsae autem honore dignae perfectiones *dignitas* nominantur. Vid. Philosoph, Sittenl. §. 380. seq.

d) Ex definitione honoris appellationes inter nos usitatae, *Ehrbarer Rath* und *Ehrliebende Bürgersehaft*, earumque differentia explicari possunt; quippe de Urbis Senatu dicitur, tanta eius in ciuitatem esse merita, ut aestimatione atque honore dignus sit; de ciuibus autem affirmatur, eos animo isto esse, et id operam dare, ut laudem atque honorem mereantur.

§. XV.

Ea est animi nostri natura, ut si quem egregiis et singularibus vel mentis, vel corporis dotibus praeditum, pium, humanum, virtuti deditum, habilem, officio suo diligenter satisfacientem, aut in vniuersum, bona et laudabilia agentem nouimus, nos virtutibus, perfectionibus, meritis, praerogatiuis eius delectemur, magni illum habeamus, aestimemus, veneremur et laude nostra dignum iudicemus. Haec nostra aestimatio, veneratio, et fauens quod de eo ferimus iudicium est *honor naturalis* quem alteri debemus, nec denegare possumus, quippe praeclaras eius et egregias doctes et actiones vilipendere et contemnere, contra naturam animi foret. Plerumque honorem in quo hominem habemus, verbis, gestibus et actionibus indicamus, eum laudando, bene de eo loquendo, reuerentiam ei praestando, commodis eius inferuendo, aut alia ratione bonam nostram de eius perfectione significando opinionem.

Variis tamen ex causis accidit vt honore et existimatione hominum dignus non honoretur. Si quis enim eminentes eius perfectiones ignorat, aut siue errore, siue odio et inuidia ductus, perfectiones et merita eius non satis aestimat sed despectui habet: contemptus in animo orietur et ex falsa nascetur in qua est persuasio. Porro, quum nemo ex omni parte perfectus sit, illum qui ob bene merita aut dotes eximias honore nostro dignus foret, ob vitia et male acta contemnimus, et ei, cuius gloria magnis obfuscat maculis, honorem denegamus. Tandem, homines non adeo sunt sinceri, vt verba et reliquae actiones semper sint mentis signa; quare accidere potest, vt cui honorem denegare nequeunt, eum tamen sermone contemnant atque vituperent.

§. XVI.

HOBBSIUS a) omnia honoris fundamenta ad *potentiam* reuocat, quae definitur possessione praesentium mediorum ad obtinendum probabiliter aliquod bonum; et quam facit vel *naturalem*, vel *instrumentalem*. *Illa* consistit in excellentia facultatum corporis, aut animi; vti est insigne robur, insignis pulchritudo, prudentia, eloquentia, liberalitas, nobilitas et similia. *Haec* est, quae per isthaec aut per fortunam parta tanquam medium inseruit ad plura paranda; vti sunt opes, honores, amici, prospera fortuna, et in vniuersum, quaelibet qualitas, quae amorem vel metum multorum hominum gignit, vel huiusmodi qualitatis opinio est. *Dignitatem* definit, per valorem seu pretium honoris tantum, quanti potentiae eius vsus aliquis emere velit. Illum valorem declarare, seu manifestum facere quanti aliquem aestimemus, est *honorare* cet.

Haud quidem inficias ire possum, *potentiam*, pro data definitione, ad dignitatem hominis pertinere; quare concedendum mihi est, poten-

potentiam fundamentam honoris esse. Verum enimvero PUFENDORF ^{b)} iam notauit, potentiam solam, citra coniunctionem cum bonitate, genuinum veri honoris haud esse fundamentum, quippe timor, quem excitat potentia ad malum determinata, pro honoris indicio haberi nullo modo possit, quum metus habeat coniunctum odium. Mihi quidem addendum videtur, excellentes corporis aut animi facultates, licet pro circumstantiis haud probabile sit, eas medium fore ad obtinendum aliquod bonum, nihilo secius a nobis aestimari et honorari; hinc fieri posse ut in honore sit, cui deest potentia. Equis enim bonus negaret, se virtutes innocentis in carcerem deiectioni aut capitis damnati, et liberalem animum hominis pauperrimi venerari. Et si virtutes amici mortui honoramus, quid quaeso, boni nobis inde orietur? quam utilitatem inde capiemus? Quare, non aliud honoris fundamentum esse, nisi potentiam, affirmari nequit.

a) Leviathan cap. 10.

b) 1. Nat. et Gent. LVIII. cap. IV. §. 13.

§. XVII.

Honor et reuerentia nostra naturalis qua quendam ob dona, virtutes et merita prosequimur, a gradu et quantitate dignitatis suae, excellentia donorum, magnitudine virtutis et copia bene meritorum haud dependet, sed ab ea, in qua sumus de eius dignitate, virtute et meritis persuasione. Namque in aprico est, nos hominem non honorare, quando eius dona praestantiora, virtutes atque merita ignoramus, aut de iis dubitamus, aut hosce penes eum deprehendimus naeuos et imperfectiones, quibus merita et virtutes eius, nostro saltem pro iudicio, obscurantur. E contraria parte, quo plures alterius virtutes et perfectiones eximias nouimus, quo maioris illas habemus, quanto maius pretium

pretium illis tribuimus, eo maior est nostra hominis veneratio, eo maior honor, quem illi habemus, naturalis.

§. XVIII.

Vt autem respondeamus ad quaestionem; *Quaenam maxime perfectiones existimatione, honore et laude dignae sint?* ad magnitudinem dignitatis naturalis ex hisce perfectionibus nascentis, nobis respiciendum erit, quippe pro quantitate dignitatis suae homo laude et honore dignus est. Quare ob sapientiam atque virtutem et praestantiores perfectiones morales maxime laudem meretur (§. II.), et quo maior est dignitas eius, eo maior est laus et honor ei debitus. Ceterum non alia hic valet regula, nisi quam (§. 12.) dedimus, generalis, secundum circumstantias enim sub quibus quis tenetur externas diiudicandum est, quae perfectio illi maxime laudi sit atque honori, immo ob eandem causam, ob quam alterum laudamus, alter merito reprehenditur. Si maritus rei culinariae satis est peritus, et vxor eius scientia Algebrae aut linguae Arabicae omnes sui aevi superat; aut rusticus fortem se atque audacem praebet, et miles rei agrariae indefessa opera studet; neuter in magnis laudibus erit. Quum pro diuersitate status, sexus, aetatis aliarumque circumstantiarum, virtutes quae homini sunt ornamento, variant: de nulla affirmari potest eam super ceteras eminere.

§. XIX.

Si bene de quodam iudicamus, quem ab praerogatiuas, quibus pro arbitrio pretium statuerunt homines, reliquos superare et iis praestantiorum esse nobis persuademus: *honore eum prosequimur arbitrario*, Quare dignitate arbitraria gaudentes ita colimus. Quod enim meliores, praestantiores, excellentiores aliis habeantur, a sola voluntate atque opi-

opinionem hominum dependet, et voluntas arbitriumque hominum causa est, quamobrem bene de iis iudicemus, et eos meliores praestantioresque aliis reputemus.

Actiones, quibus honor arbitrarius aliis tribuendus est, seu honores externi arbitrato hominum sunt constitutae, inter diuersas gentes diuersae, et pro diuersitate culturae et ingenii populorum, nec non situs, climatis et regiminis terrarum quas inhabitant, consuetudinis etiam et moris inter gentes recepti, adeo differunt, ut qui in hac terra eximie honoratur, in illa contemni et ludibrio haberi videri sibi possit ^{a)}. Honorant enim homines quendam corpus incuruantes, caput denudantes, caput tegentes, in conspectu eius stantes, in calcibus sedentes, genua flectentes, humi procumbentes, ad pedes eius se prosternentes, os, manus, frontem, genua, pedes, fimbriam vestis ipsius osculantes, aut illa caput suum terentes, terram osculantes, manus plicantes, eas deprimentes, aut supra caput tollentes, ad sinistram eius sedentes, aut ad dextram, nasum eius et faciem nasu suo, aut pedes capite ac manu tangentes, pedes suos celantes, aut protendentes, superiorem corporis partem denudantes, immo ut Otahitae narrante COOKIO, inferiorem et posteriora sua ostendentes. Ratione huius honoris valet regula:

Si fueris Romae, Romano viuito more,
Si fueris alibi, viuas ut ibi.

^{a)} Conf. Geschichte der Gesetze des Wohlstandes unter rohen und halb cultivirten Völkern, im Götting. histor. Magazin III. B. 2. Stück et PENDORF Ius Nat. et Gent. Lib. VIII. Cap. IV. §. 13.

§. XX.

Actiones, quibus aliis honorem nostrum naturalem declaramus (§. 15.), nostramque venerationem significamus, haud raro cum honore
externo

externo arbitrario conueniunt. Sic filius patri reuerentiam praestat, dum in conspectu eius surgit, denudato capite cum illo loquitur, manum ei osculatur, ad sinistram eius incedit licet ipse maioris sit dignitatis; quae omnia ad honorem externum arbitrarium referenda esse, nemo non intelligit.

§. XXI.

Honor in quo aliquem habemus, est vel *bene fundatus*, vel *minus fundatus*, quemadmodum iudicium nostrum vel verum, vel falsum est. Quodsi enim virtutes eius sunt eximiae, perfectiones excellentiores, et actiones adeo egregiae atque laudabiles, vti nobis persuasum habemus: laude nostra et aestimatione dignus est, et meritis eius debitos tribuimus honores. Quando autem in falsa de eius virtutibus ac meritis sumus persuasione, et nos fallit nostra de perfectionibus ipsius opinio; aut virtutes eius et merita non adeo sunt praestantia atque egregia, nec tanti aestimanda ac nos opinamur: honoribus eum mactamus minus fundatis ^{a)}. E contraria parte honor nonnunquam non respondet dignitati hominis. Si quis enim vel ex ignorantia, vel ex odio et inuidia virtutes atque perfectiones eius minoris habet, ac haberi merentur: non recte de eo sentiet, atque honore dignum contemnet, saltem non satis venerabitur.

a) HEINECCIUS in element. I. N. et Gent. Lib. I. §. 47. ita: „Veneratio vel honor est iusta perfectionum, quae alteri insunt aestimatio.“ Verum enimvero ita non definiuit Auctor honorem, sed honorem bene fundatum; praeterea aestimatio nostra non a perfectionibus quae alteri insunt, sed quas pro ea, in qua sumus persuasione, ei tribuimus, pendet.

§. XXII.

Quem ea ratione, iisque actionibus honoramus, quibus propter munus, officium, titulum, aliamque dignitatem arbitriam, pro voluntate

tate

tate Principis, dispositione legum, aut more recepto et consuetudine distingui debet, ei *honorem* tribuimus *debitum*. Si magis eum honoramus, honor est *iusto maior*; si minus, *iusto minor*.

§. XXIII.

Ordo in omni societate, magis adhuc in ciuitate necessarius requirit, vt non omnes eundem locum teneant, eadem habeant iura, iisdem gaudeant praerogatiuis, et status ciuitatis vt sit status inaequalitatis, bonum commune postulat. Sapienter itaque Principes, legislatores, aut aliorum placita constituerunt, nonnullos in ciuitate pro melioribus et praestantioribus reliquis esse habendos, nec sine causa definiuerunt, quaeenam dignitas cuique pro munere et statu suo sit adsignanda. Nec minus sapienter praeceperunt, quibus quisque, pro gradu dignitatis arbitrariae, actionibus a reliquis honorari debeat, vt ex hisce actionibus gradus dignitatis, qua gaudet, arbitrariae manifestus fiat, et hac ratione ordo in hominum societate seruetur.

§. XXIII.

Obligatio ad eum quem aestimatione nostra dignum credimus, aestimandum et in honore habendum est naturalis, et hic honor naturalis extorqueri nequit. Ita enim animi nostri naturae conuenit, vt quidquid sibi tanquam bonum, praestans, laudabile, egregium repraesentat, illud amet, approbet, bene aestimet, magni et laude dignum habeat. Illis itaque, de quorum egregiis dotibus, virtutibus et meritis prorsus persuasi sumus, aestimationem nostram venerationemque denegare, contra naturam animi esset, necesse enim foret vt nobis persuaderemus, eas perfectiones atque virtutes, de quibus dubitare haud possumus, illis deesse; quod quidem obligationi nostrae naturali, immo

D

natu.

naturae animi repugnat. Quia autem honor hic naturalis et veneratio ex nostra de aliorum perfectionibus ortum trahit persuasionem, actus autem intellectus liberi sunt et sub nullius coactione: honor naturalis vt extorqueatur fieri nequit.

Neutiquam vero negari potest, actiones externas, quibus venerationem nostram significamus, et quae saepe signa arbitraria honoris nostri, eiusdemque generis cum iis sunt, quibus aliis honorem arbitrarium tribuimus (§. 20), posse extorqueri. Nec natura nos semper obligat, vt honorem quo aliquem prosequimur, verbis aut aliis actionibus manifestemus. Immo adeo graues obstringere nos possunt causas, ne nostram de cuiusdam praestantia persuasionem, eamque quae in animo nobis haeret, existimationem et admirationem verbis aut aliis actionibus palam faciamus, vt obligationem nostram violaremus sub hisce circumstantiis sensus animi notos facientes.

§. XXV.

Quemadmodum quemuis aestimatione nostra dignum colere et venerari interne obligamur, ita sedulo nobis cauendum est, ne culpa in nos haereat, quod quis detrimentum suae existimationis faciat et honorem amittat. Quia enim bona fama et existimatio tanti sunt pretii, vt nihil nobis sit acerbius et magis noxium, praeter sinistram aliorum de nobis sententiam, et nemo maiori nos afficiat dolore, nisi qui nos adducit in contemtionem; sancta nobis sit regula: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Quare 1) caueas tibi, ne pronior sis ad mala atque inhonesta, quam bona et honesta de quodam cogitandum et credendum, siquidem hac suspitione auctoritas eius minuitur, et tua aestimatio desinet. Rectius quilibet habetur bonus, donec probetur contrarium.

2) Quae

2) Quae de alio suspicantur et narrant homines vitia, quae rumor fert incertus, non statim credas, narres et palam facias, ne famam eius sinistram dissipes et augeas.

3) Ne aurem praebeas, applaudas et arrideas turpem de aliis mentionem facienti, illos deridenti aut calumnianti.

4) Pro virili defendas quorum fama violatur, quatenus salva veritate defendi possunt, et si absunt a crimine quod illis inferitur, honorificam de illis mentionem facias; facta autem vituperio digna prudenter excuses, videas tamen, ne alios tuendo ipse in malam suspicionem adducaris.

5) Cuique debitum habeas honorem, debitamque venerationem actionibus tuis ostendas.

§. XXVI.

Obligatio ad quendam honore arbitrario prosequendum, non est nisi positiva. Affectionibus enim, quibus quis honorem nostrum arbitrarium sibi conciliat, solummodo pro voluntate hominum valor est impositus, iisque gaudentes non nisi pro opinione hominum praestantiores melioresque reliquis habentur, quare hae perfectiones non sua natura nostra dignae sunt veneratione. Accedit, quod ab arbitrio hominum pendeat, quibus nos actionibus alterum honorare debeamus; quapropter obligatio ad eum huiusmodi actionibus honorandum, est positiva.

§. XXVII.

Si natura nos obligat ut quem honoremus: tales in illo deprehendimus dotes, virtutes, perfectiones, quales bene aestimare, magni habere, venerari, admirari debemus. Homo autem ob sapientiam, eruditionem, morum sanctitatem, virtutes, aliamque dignitatem natu-

ralem admiratione nostra et veneratione dignissimus non semper eas habet praerogativas, quibus honorem arbitrarium debemus. Quare non est officium nostrum, ut talem ei tribuamus honorem arbitrarium, qualem, nisi ob dignitatem arbitriam, iure a nobis exigere nequit. Si autem ob bene merita muneris est praefectus aut titulo donatus, et generatim, si cum dignitate naturali arbitraria est coniuncta dignitas, ut tam naturali, quam arbitrario eum prosequamur honore, nobis necesse est. Sic virum eruditum, habilem et de patria bene merentem aestimamus; non autem locum honoris et priores partes ei tribuimus, nisi pro muneris et ordinis ratione nobis a dextris sedet.

Et si quis dignitate arbitraria inter alios emineret, immo si Princeps esset, aut ob grauitatem muneris summa veneratione dignus haberetur: omnino necesse foret ut debitum illi tribueremus honorem arbitrarium. In animo autem eum nec aestimamus nec veneramur, si perfectiones, virtutes atque merita illi desunt, quae nostram venerationem merentur; nec hanc existimationem iure a nobis postulare potest, licet ius ei competat a nobis exigendi, ut honorem arbitrarium ei haud denegemus. Principes autem, magistratus, nobili genere natos, muneribus praefectos, aut alia dignitate arbitraria praeditos, apud quos eas deprehendimus virtutes atque perfectiones, quarum causa cultu nostro et veneratione digni sunt, ut non arbitrario solum, sed et naturali honore prosequamur, obligatio nostra omnino requirit.

De hoc nostro officio alius honorem vel naturalem vel arbitrarium tribuendi, laudatus Auctor scripti in SCHLÖZERS Staatsanzeigen acute iudicat.

§. XXVIII.

Signa honoris vocantur quae homini honorem conciliant, siquidem dignitas eius ex illis cognosci potest. Dantur itaque signa dignitatis

tatis naturalis, et signa dignitatis arbitrariae. Et quum, vti in scholis Logicorum audimus, signa vel sunt naturalia, vel arbitraria, prouti vel ipsa dignitatis natura, vel arbitrium hominum nexum inter signum et signatum constituit; varia signorum honoris genera distinguere possumus: 1) *Signa naturalia dignitatis naturalis*; quae huius dignitatis sunt effectus naturales. Sic sapientiam hominis ex eius sermone, sanitatem ex corpore vegeto, eruditionem ex scriptis, habilitatem ex artificio, virtutem ac pietatem ex actionibus, tranquillitatem animi ex ore hilari cognoscimus, et si magno illi Physiognomo LAVATERO credis, omnes intellectus dotes praestantiores, omnesque mentis perfectiones ex vultu eiusque structura et partibus. 2) *Signa arbitraria dignitatis naturalis*; quemadmodum corona laurea virum fortem aut poetam, corona ciuica de patria bene merentem, titulus doctum, ex voluntate hominum indicat, quae aliquid tanquam signum honoris eligere potest, quod sua natura indifferens videtur. 3) *Signa arbitraria dignitatis arbitrariae*; quemadmodum corona Regis, pallium Electoris, vestitus militaris praefecti militum, clauus aureus praefecti camerae, insignia nobili genere nati, et innumera alia dignitatis arbitrariae sunt signa.

Vehementer autem dubito *dignitatis arbitrariae esse signa naturalia*. Mihi saltem persuadere non possum, ex facie hominis, quod vult LAVATERVS, cognosci posse, cui muneri praefectus sit, quam fortem, quem statum, quod vitae genus habeat, quod negotium gerat; et si ex structura ossium, immo ocrearum, vtrum Regis sint an ciuis, se cognoscere posse Vir doctus opinatur: Lynceo sane et Argo erit perspicacior. De eo non sermo est, vtrum temperamentum, affectus, propensiones motusque animi hominis, ex structura, colore, lineamentis, plicis et rugis vultus, aut ex fronte, oculis, ingressu, sermone

alisque signis naturalibus appareant, quod quidem inficias ire nequeo. Nec negauerim vitae generis et circumstantiarum, sub quibus tenetur homo, nec non actionum saepe repetitarum, tantam in gestus corporis, colorem et lineamenta faciei, splendorem oculorum, modum ingrediendi, sermonem et corporis statum vim influentem, vt attendentibus haud adeo difficile sit, eos qui in fodinis laborant, fabros, factores, sutores, lintei textores, aliosque distinguere atque cognoscere. Acute NICOLAI ^{a)} notauit Monachos, licet ordinis vestibus haud vestitos, facili negotio distingui posse, et quidem breui, quo incedunt, ingressu, quem propter togam longos passus impediendam, consueuerunt. Quare inficias ire nolo, virum ab omnibus veneratum, eieuatione capitis, vultu, aspectu, corporisque statu suam nonnunquam ostendere dignitatem, et ex pingui ventre cognosci posse, si quis muneris praefectus sit, quod largam dat culinam; quemadmodum pallida virginis facies et manus tenerae haud raro nobili genere natam, neque labore assiduo, neque coelo turbido aduetam significant. Verum enimvero haec omnia non dignitatis sed vitae generis ac circumstantiarum sunt signa, saepe fallacia.

a) Reisen durch Deutschland und die Schweiz, II. B.

§. XXIX.

Omnia haec honorum signa nec sunt certa, nec constantia, nec propria, quod quidem cuius attente ea consideranti haud difficulter patebit. Hoc autem notari meretur, nonnulla honorum signa tanti aestimari, vt sola eorum adquisitio dignitas existimetur, et cum iis dignitatem simul arbitrariam nobis adquiramus. Eiusmodi sunt signa ordinis equitum, tituli munerum, alia, cum certis praerogatiuis et iuribus singularibus nunquam non coniuncta.

§. XXX.

§. XXX.

Quoniam naturalis adest obligatio, ut cuius dotes et virtutes sunt eximiae, aut merita praeclara, eum magni aestimemus, veneremur et honore prosequamur naturali (§. 24.); et positivè nos obligamur ut dignitate arbitraria signisque huius dignitatis gaudenti honorem arbitrium haud denegemus (§. 26.): extra omnem dubitationem est, officium nostrum esse, eos, qui non signo solum gaudent honorum, sed et dignitate signo indicata, honorare.

In dubium autem vocari posset, utrum ei de quo constat, eum carere dignitate signo indicata, honorem debeamus? Nec de lana caprina haec est quaestio, quum satis notum est, multas dissensiones, controuersias et altercationes inde ortas esse, quod praecedentia aut aliud honoris documentum, titulo muneris cuiusdam honorifici ornatis, ipso munere autem carentibus, denegatum fuerit. Nec opinor quemquam ignorare, maximi momenti esse quaestionem Iuris Gentium: utrum Regibus imperio se abdicantibus, aut regia potestate privatis, eorumque descendentibus honorem, qui Regibus datur, Principes et Gentes debeant ^{a)}: et utrum Principes privati, apanagiatos vocant, filii et consanguinei Principum primum post Principem locum teneant, et insignia, titulos aliaque dignitatis schemata sibi sumere queant, quae solis Principibus regentibus olim competerunt ^{b)}.

Quod ad nostram attinet quaestionem, distinguendum erit, utrum qui dignitate vel naturali vel arbitraria signo indicata caret, honoris signum bona fide sibi acquisiverit et iure possideat; an minus. Hoc posito, honorem ei denegandum esse nemo dubitabit. Illo autem posito attendas, utrum ipse titulus aut aliud honoris signum, dignitatem arbitriariam constituat (§. 30). Quod si negandum foret: non
apparet

apparet causa virum honorandi, qui nec dignitatem habet naturalem, nec arbitrariam, ob quam nostrum mereatur et iure postulare possit honorem. Omnino autem honorandus est, si titulus, vel aliud quoddam honoris signum dignitatem ei dat arbitrariam. Quare ministrum Ecclesiae, ob flagitia et scandala a munere remotum neutiquam honorabo, licet nigro vestimento, Pastorum Ecclesiae signo sit indutus. Ex nigra enim tunica ei non redundat dignitas, et quia dignitate naturali caret, ac munere suo indignus est, honorem non meretur. E contraria parte tam virum in munere suo bene meritum, ob ingrauescentem aetatem in otium collocatum, quam praefectum militum honore dignum, ob finitum bellum aut aliam causam a munere clementer remotum honorabo, licet ambo non nisi titulo munerum, quibus olim functi erant, gaudeant. Virtutibus illorum honorem naturalem, et titulis honorificis honorem arbitrarium debeo. Eandem ob causam viro, ob bene merita a Principe titulo muneris, cui non praeficitur, donato honorem tribuam, quoniam ei tam ob merita, quam ob titulum honor debetur. Sed virum ignarum, pro parata pecunia in Academia rite promotum, si tale quid, quod Musae nolint! accideret, propter eruditionem honorare nequeo; honorem autem titulo Doctoris debitum haud recusabo, quum ipse titulus, qui aliis praestantioris eruditionis signum est, dignitas arbitraria est vocanda, et ei ius concedit honorem arbitrarium Doctoribus competentem exigendi.

- a) HUBERVS de iure civitatis Lib. I. Sect. IX. Cap. VI. „Finitur summa potestas quando Rex imperium deponit, siue reddat populo rempubl. siue transferat in alium. — Hoc ipso fit Subiectus. — Si pactus vel pacta sit independentiam, vt Christina Sueciae, hoc quidem vim suam habebit, eorum a quibus id est pacta, respectu. — Sed extra fines imperii, in quo eiusmodi pactum intercessit, nullum iuris effectum habere potest; quia pactum non egreditur paciscentium personas. Proinde quod alibi Ex-regibus eiusmodi honos, vt nulli subiectis habetur, id *humanitatis*

nitatis et indulgentiae, non iuris est, in quo sit vinculum necessitatis.
 Quas difficultates independentia Reginae Sueciae in ipsa Suecia, postquam semel egressa erat ex regno, in Gallis post trucidationem Monaldeschii, et Romae peperit, narrant Historiographi qui vitam Reginae ediderunt.

b) Conf. GLAFEX Recht der Vernunft. p. 506.

§. XXXI.

Fauens hominum de nostris perfectionibus iudicium, bona fama, bona aestimatio est res optanda et digna, cui omnem operam demus. Namque non solum ex intuitu aestimationis nostrae bonae satisfactio interna progeneratur; sed et existimatio bona nobis conciliat animos aliorum, et prouiores ad auxilia nobis ferenda euadunt, hinc in illa magnum ad felicitatem nostram praesidium situm est; praeterea bona existimatio ansam nobis dat atque occasionem commodis aliorum feruendi, eorumque felicitatem augendi. Quare officium nostrum est id curare, vt apud alios simus in honore. Haec nostra obligatio duo requirit: *Primum*, vt dignitatem naturalem nobis comparemus, de aliis bene mereamur et honore digni euadamus, de qua nostra obligatione nemo dubitabit (§. 6.). *Postea*, vt nostras perfectiones, nostras virtutes, nostram scientiam, eruditionem eamque qua pollemus dignitatem aliis ante oculos ponamus. Alii enim nos, si iis sumus ignoti, aut si perfectiones nostras beneque merita ignorant, neque aestimabunt, neque honorabunt; quare laudari nequit mos eorum, qui in obscuro viuunt, et quorum scientia, eruditio, dexteritas aliaeque perfectiones, licet sint egregiae, ab omnibus ignorantur, quoniam illi eas notas facere verentur.

Ne autem amor gloriae in auaritiam et aestum gloriae degeneret, has regulas obseruare nostrum est:

E

1) Ac-

1) Aestimationem laudesque quaerere haud debemus, nisi ob eas perfectiones, virtutes atque actiones, quae bonis et prudentibus sunt probatae et ab iis magni habentur.

2) Haud maiorem venerationem, aestimationem et laudem quaerere fas est, quam qua digni sumus, nec praerogativas atque perfectiones nostras maioris habere, ac haberi merentur.

3) Nullius hominis bona aestimatio contemnenda nobis est, eo autem maxime videndum ut prudentibus placeamus, et ab iis laudemur, qui, utrum laude et honore digni simus, rite possunt diiudicare.

4) Maioris curae nobis esse debet, ut alii bene de nobis iudicent, magni nos faciant et interne honorent, quam ut plenus nos laudent ore, et externis actionibus reuerentiam nobis praestent. Satisfecimus obligationi nostrae, si nos laude dignos praestiterimus; utrum vero alii laudem promeritam tribuant, an denegent, id nobis parum curae esse debet.

5) A multis laudatus atque honoratus saepe attendat, quatenus perfectiones atque virtutes ei adhuc desint, quantum sit quod nesciat, et quantopere a dignioribus superetur, ne intumescat, sed modeste de se ipse sentiat, eoque omni labore nitatur, ut maiori honore dignus fiat.

6) Sapientis est nec ostentatione et magniloquentia, nec narratione suarum virtutum atque perfectionum eas significare et notas facere, sed praecleara et laudabilia conando, et bene de aliis merendo.

§. XXXII.

Magnitudo et gradus honoris cuique ad honoris notionem attendenti facile patebunt. Quo plures homines nostras perfectiones aestimant, quo digniores hi sunt et honoratiores, quo rectius de nostris perfectionibus iudicare possunt, quo plures perfectiones nobis tribuunt, quo

quo maiores et excellentiores virtutes de nobis praedicant, quo clarior, verior, certior illis est perfectionum quas de nobis honorifice praedicant, cognitio, quo diutius haec bona existimatio durat, quo minus decrefcit, quo melius et distinctius significatur, eo maior est honor noster.

*) MEIER Gedanken von der Ehre Sect. II. gradus honoris copiose exposuit,

§. XXXIII.

Quum officii nostri sit eo laborare, vt dignitatem nobis paremus arbitrariam (§. 8.), honor autem arbitrarius ex dignitate arbitraria oriatur, et cum illa coniunctus sit (§. 19.): *honorem quoque arbitrarium haud respuere sed quaerere debemus.* Ne autem nimis anxius sis in quaerendo hoc honore; multo enim praestat eo respicere vt hoc honore dignus euadas. Et quemadmodum sedulo tibi cauendum est, ne dignitatem arbitrariam quaeras, quae tibi foret opprobrio (§. 9.), ita videas, ne honorem ab aliis poscas iusto maiorem (§. 22.), et ita risui te exponas atque despectui omnium, qui te, hominem arrogantem, ambitiosum et gloriae immodicum contemnent.

§. XXXIV.

Implicatio est quaestio: *Vtrum obligatio nostra requirat, saltem licitum nobis sit, titulos aliaque honorum signa (arbitraria §. 28.) ambire?* Mea quidem pro sententia, qui perfectiones atque dignitates signis indicatas tenent, ab iis, qui hisce perfectionibus carent, sedulo distinguendi sunt. *Hi*, si signa et titulos munerum, quibus nec sunt praefecti nec pares, quaerunt, stulte agunt, et amorem titulorum ridiculum manifestant. *Illis* autem omnino *licitum est signa honorum quaerere*, vt perfectiones, quibus pollent, inde cognoscantur. Nec obstat quo minus munerum titulos gerant, eos carere hisce muneribus

et dignitate externa; ipsum enim honoris signum pro dignitate externa habetur (§. 29.), et quia satis idonei sunt ad haec munera gerenda, titulos petentes obligationi suae haud defunt.

Alia autem est disquisitio: An munere et honore digni titulos et signa honorum petere *debeant*? Equidem haud credo quemquam dubitaturum esse, muneribus, quibus pares et digni sunt, praefectos teneri, ut officiorum et munerum suorum characteres publicent, ne alii illis denegent honorem externum debitum, quem quaerere obstricti sunt (§. 31.). Quod ad eos autem adinet, qui, licet ad munera et honores nondum profecti, iis tamen quae titulo significantur, perfectionibus praediti sunt atque virtutibus, si non alia ratione eas indicandi et notas faciendi data illis foret potestas, honorum nomina et titulos assumere obligantur (§. 33.). Quorum autem dotes et virtutes iam satis notae sunt, illis haud necesse, licitum tamen est titulos et honorum signa ambire.

§. XXXV.

Iam *de iure circa honorem*, seu de iure existimationem atque honorem ab aliis exigendi. Quod quidem argumentum plenam in lucem poni nequit, antequam honoris naturam amplius indagauerimus, et distincte ostenderimus, quomodo *existimatio intensiva* ab *existimatione simplici* differat. Quum de solis moralibus, non de physicis perfectionibus sermo est Doctoribus ita distinguentibus: *existimatio* (bona) est iudicium quo alicuius perfectiones morales agnoscimus; et quidem vel in statu naturali, vel in statu civili. Illa existimatio *naturalis* *a*), haec *civilis* appellatur. Existimatio plurimum *fama* (bona) audit *b*). In statu naturali perfectio hominis moralis, de qua praedicamus, *vel* est probitas externa communis, defectus vitiorum, mera iustitia externa, seu

seu qualiscunque legum naturalium obseruantia; *vel* eximia virtutum et eminentiorum perfectionum praestantia. Illa *existimatio* est *simplex naturalis*, haec *naturalis intensua*. In statu ciuili tribuimus homini *vel* valorem ciuium communem secundum leges et ciuitatis mores; *vel* eximiam praerogatiuam prae aliis ab Imperante collatam. Illa *existimatio simplex ciuilis*, haec vero *intensua ciuilis* vocatur.

Si passiuè vteris vocabulo existimationis: valor nobis ortus ex iudicio aliorum de nostris perfectionibus moralibus erit *existimatio*; et qua ratione naturalis a ciuili, simplex ab intensua distinguenda sit, ex iam dictis cuius patet.

- a) In §. XIII. honorem seu existimationem naturalem aliter definiuimus, ad causam unde oritur existimatio respicientes, quum hanc nostram distinctionem obiectum quod existimamus, suppeditat. Acquivocatio tollitur, si illam, existimationem naturalem ratione fundamenti; hanc autem naturalem ratione obiecti appellare placet.
- b) THOMASIVS diss. de existimatione fama et infamia extra rempubl. Halae 1709. defendit existimationem latius patere fama; hanc iudicium aliorum de aliis hominibus denotare, illam iudicium quoque cuiuslibet de se ipso inuoluere; quare eam definit, quod sit iudicium de valore sui ipsius et aliorum. Nobis quidem de existimatione sui ipsius hoc loco non sermo erit.

§. XXXVI.

In statu naturali omnes homines sunt eiusdem existimationis simplicis, donec vitiiis et iniustis actionibus famam et existimationem suam perdiderint; et quilibet praesumendus est iustus, donec probetur contrarium. Probitas enim externa et defectus vitiorum sunt praedicatum accidentale naturale cuiusuis hominis, prouti Logici vocant, et valor inde ortus nemini denegari potest, nisi probatum sit eum iniuste egisse. Quare ius in existimationem simplicem connatum est et omnibus aequale. Qui ergo mihi existimationem simplicem denegat, meque vilio-

atque inferiorem aliis iudicat, violat iura mea; et mihi competit ius perfectum in existimationem aliorum simplicem. *)

*) Non de ipso animi iudicio, sed de honore et actionibus externis, quibus existimatio significatur, sermonem esse, ex §. XXIII, patet.

§. XXXVII.

Neutiquam tamen defendi potest, in *statu naturali* omnes homines esse eiusdem existimationis intensivae. Quum enim haud omnes homines perfectionibus, virtutibus et meritis circa genus humanum pares sunt, sed alter alterum eximiis virtutibus longe superat: melior utique existimatio, maiorque honor illi debetur, qui alios virtutibus, meritis et egregiis perfectionibus antecellit, proinde illi ius competit maiorem honorem et existimationem ab aliis exigendi, quod tamen ius non est nisi imperfectum.

Satis quidem scio, non omnes Doctores in hoc consentire, quia in *statu naturali* tanquam regulam generalem defendunt: quidquid tibi fas esse contendis respectu mei et tertii, id ipsum et mihi fas esse respectu tui vel tertii, agnoscere teneris. Sed valde dubito hac regula probari posse, homines in *statu naturali* aequalis esse existimationis. Equidem *status naturalis* est *status aequalitatis*, et si solam hominum naturam consideras, nemo habet dominium in alios, nemo praerogativam, praecedentiam, aut potestatis quid in alterum, nemo ius quod reliquis non competeret. Quae tamen omnia non nisi de *statu naturali absoluto*, seu mere naturali valent. In *statu naturali hypothetico* diversa esse hominum iura, quis est qui negaverit. Sed existimatio naturalis intensiva, pro data definitione, in *statu mere naturali*, seu apud homines quorum sola essentia consideratur, locum non habet. Haec enim existimatio est valor ex virtutibus, meritis et eminentiorum perfectionum

tionum praestantia, qui non connascitur, sed moralibus acquiritur actionibus. Quare non agitur hic, an homo in statu naturali absoluto ius in existimationem aliorum intensivam habeat. Quando autem statum naturalem hypotheticum consideras, fieri nequit ut neges, quod cuius maiores sunt perfectiones, eminentiores virtutes, praestantiora merita, ius habeat a nobis honorem, laudem et aestimationem debitam exigendi, et nos, ad agnoscendum, significandum, confitendum eum nobis esse perfectiorem, ideoque ad eum laudandum et honorandum obligati simus (§. 15.)

Et si inter nos consentiremus, quod iudicium quo alterius perfectiones eminentiores, non *morales* solum, sed et *physicas* agnoscimus, *existimatio intensiva* vocanda foret; in statu naturali absoluto quoque disparitas existimationis intensivae aequalitatem hominum naturalem haud tolleret. Haec enim aequalitas naturalis, quam factam rectamque servari generis humani quam maxime interest, vult ut quisque alterum, qui non canis aut bestia, sed aequo homo est ac ille, ut hominem aestimet; atque praeceptum dat naturale: ut quisque alterum hominem aestimet atque tractet, tanquam naturaliter aequalem, seu ut aequo hominem. Egregie ait PUFENDORF *a*): „Propter aequalem libertatem est, ut prudentior non possit suo iure imprudentioris regimen, nisi hic confenserit, sibi vindicare; praesertim si hic sua qualicumque dexteritate contentum sese profiteatur esse. Quemadmodum in Rebuspublicis bene constitutis alius civis alium dignitate aut opibus excedit, libertas autem omnibus in aequo posita est: ita quantiscunque quis animi corporisue dotibus alios excellat, non minus tamen iuris naturalis officia adversus alios ei sunt exercenda, ac ipse ab aliis eadem expectat; nec ideo plus licentiae eidem conceditur alios iniuriis afficiendi.

Sicuti

Sicuti et neminem, parca in ipsum natura, aut tenuis fortuna per se ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis iuris sit, quam alii. Sed quae vnus ab altero postulare aut expectare potest, eadem alii quoque *ceteris paribus* ab eodem possunt; et quod iuris quis in alium statuit, eo ipsum vti maxime conuenit. Huius aequalitati naturali neuiquam aduersatur ius imperfectum hominis, erga quem in admetiendis corporis animique bonis benignior fuit natura, ab aliis, in quos parca fuit natura, maiorem aestimationem exigendi, ac illis debet.

a) I. Nat. et Gent. Lib. III. Cap. VI. §. 2.

§. XXXVIII.

In ciuitate existimatio simplex est valor ciuium ex obseruantia legum ciuilium ortus. Omnes itaque ciues sunt eiusdem existimationis simplicis, et iisdem gaudent iuribus ciuilibus, nisi famam et aestimationem ipsi perdiderint, et sint singulariter improbi. Nec vlla oritur huius existimationis inaequalitas ex diuersitate aetatis, generis, sexus, religionis, status ciuium, donec legum ciuilium violatione saluti publicae perniciem machinentur. Quare cuius cui competit ius in existimationem aliorum simplicem, quod quidem est perfectum, et sine laesione externa a nemine violatur. Perdunt autem ciues existimationem simplicem, tam actionibus contra securitatem et salutem publicam, vti fures et infideles pecuniarum publicarum administratores; quam arripiendo statum cui malae notae macula inhaeret, quemadmodum carnifices a), lenones, alii b). Quare PUFENDORF c): "Isthaec existimatio in ciuitate deficit vel ex mero statu, vel ex delicto."

a) Vtrum iure an iniuria carnificibus existimatio simplex ciuilis denegatur, nostrum non est diiudicare. Vide tamen GYNDLING Discours über das Natur und Völkerrecht. p. 92.

b) Quibus deest existimatio ciuilis simplex *ehrlos* nominantur quemadmodum *ehrlicher Name* existimationem simplicem indicat.

c) I. c. §. VI.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

In ciuitate non omnes habent existimationem intensiuam; quippe a voluntate Principis pendet cui egregie merito, praecellenti, illustri, singulariter probus et sapienti praerogatiuam et priores partes tribuere. Inde oritur, quod nonnulli ciues super ceteros propter officia, munera, titulos, statum, honorum signa, aliamque dignitatem arbitrariam (§. 5.) a Principe collatam emineant et priores partes teneant. Equidem recte monet GVNDLINGIVS ^{a)}, non semper meliores esse reliquis qui meliores putantur, nec sapientia, probitate, virtutibus, meritis alios nunquam non antecellere, qui in maiori honore habentur. Quum tamen Principis est, et ad iura eius maiestatica refertur existimationem ciuium intendere: cuilibet ciui, cui priores partes a Principe concessae sunt, ius perfectum competit debitum honorem et existimationem intensiuam a reliquis exigendi, et quiuis sub imperio eiusdem Imperantis perfecte tenetur, vt honorem externum pro gradu dignitatis ei tribuat, (§. 26. 27.) nec sine laesione hoc facere recusare potest.

^{a)} Discours über das Natur und Völkerrecht ad §. 38—44. „Von rechtswegen sollte man nullius existimationem intendere, es sey denn, das er singulariter probus, singulariter sapiens; gleichwie keinem die existimatio kann genommen werden, wenn er nicht singulariter improbus. — Weil die existimatio intensiua vom Principe dependirt, so geschieht es das nicht allezeit sapientum existimatio intendirt wird. — Die existimatio intensiua, welche von dem Principe kommt, bleibt beständig, aus folgender raison. Alle diejenigen so sub imperio sind, halten den Regenten pro anima; pro mente ciuitatis, pro sapientissimo. Was der Princeps sagt, das ist vom Himmel herab. Wären nun alle Principes klug, so würden sie nicht existimationem augere, als wenn sie ein wahres Fundament vor sich fänden; aber so sind nicht alle Principes klug. Wäre der Princeps recht getcheut, so würde er wissen, was wahre Tugend, wahre Weisheit, und dieselbe allein belohnen. Haben wir aber lauter Salomones? Vielmehr erhalten bisweilen schlechte Leute eine existimationem intensiuam. Sagt der Princeps: Hans Damf soll Bürgermeister seyn, so ist ers, wenn er gleich nicht mehr Verstand hat, als des Caligulae Pferd. Alle müssen den Hut vor ihm abthun, und wenn

E

sic

sie es nicht thun, so können sie gezwungen werden. Was du innerlich dencken willst, stehet dir frey, äußerlich aber mußt du ihn doch ehren. Genug der Princeps hält ihn für klug. Hast du wohl jemahl ein Diploma gesehen, darinnen der Princeps gesetzt: Diesen Tölpel will ich erheben? Sondern er setzt, wegen seines Verstandes, und wegen seiner Tugenden habe ich seine existimation augirt " cct.

§. XXXX.

Ex iam dictis facili negotio patet, diuersos gradus existimationis intensiuæ esse. Quum enim munus munere, titulus titulo, et vna dignitas arbitraria altera præstantior sit et excellentior, maioraque iura cum illa dignitate quam cum hac sint coniuncta: satis apparet alteri cui maiorem nos debere existimationem intensiuam quam alteri, licet ambo sint honorati, et vterque ob actiones, dignitatem, statum, existimationem intensiuam parientes, honore dignus. Competit itaque cui, si gradu dignitatis arbitrariæ super alios eminent, ius perfectum maiorem honorem atque existimationem exigendi.

§. XXXXI.

Quibus deest existimatio simplex *infames ehrlos* nominantur, quemadmodum *ehrlicher Nahme* existimationem simplicem significat. Infamia non oritur nisi ex factis, quæ enormem improbitatem et habitum intensiorem violandi officia externa commonstrant; diuersorum tamen est graduum ^{a)}. Quo plura enim alicuius sunt crimina, quo turpiora facta ipsius, quo plures homines læsit, quo maiorem infelicitatem illis parauit, quo maior dolus, ex quo crimen ortum, quo facpius fuit repetitum, quo diutius continuatum, et in vniuersum quo maior moralitas actionis improbae, eo maior hominis est infamia.

Plerumque perdens existimationem simplicem ciuilem simul existimationem simplicem naturalem perdidit, et vtraque ratione est infamis,

mis; quando nimirum leges violatae naturales simul sunt ciuiles. Fieri tamen potest, vt homo naturaliter infamis non sit ciuilitate infamis, si violatio legum naturalium puta non contra leges et securitatem publicam ciuitatis foret. Talis foret infamia Paederastiae aut Sodomitae, si haec flagitia legibus ciuitatis haud forent prohibita, nec tanquam delicta punirentur. Pariter homo ciuilitate infamis non semper in statu naturali pro infami reputandus erit. Si enim salus et securitas publica ciuitatis requireret, vt violatio legum quarundam positiuarum tanquam enorme delictum puniretur: harum legum violatione infamiam ciuilem, non autem simul naturalem delinquens contraheret. Ponas subditum (non loquor de vniuersa gente) contra Principem tyrannum telo et gladio stricto se defendentem; aut subditum in ciuitate democratica eo laborantem, vt respublica turbata imperii mutatione et introductione formae monarchicae felicior euaderet: ambo ciuilitate erunt infames, licet leges naturales perfectas haud violauerint. Et quum infamia in ciuitate nonnunquam statui hominum adhaeret (§. 38.): accidere potest, vt homo ciuilitate infamis existimatione bona naturali gaudeat.

a) THOMASIVS in diss. de existim. fama et infamia §. 45—49. tres infamiae species, maiorem, minorem et maximam; PVFENDORFIVS autem l. c. §. 3—5. bonae famae diminutionem ab amissione totali seu consumptione distinguit.

§. XXXXII.

Defectus existimationis intensiuae non est infamia; sed vel gloriae, laudis, honoris carentia (Nichtachtung), quam *vilitatem* aut *vulgari-tatem* appellant; vel *turpitude*, quando contemtionem, vituperio, ignominia (Unehre, Schande) homo notatur. Vtramque cum fama bona simplici coniunctam esse non repugnat. Sume tibi exemplum de vno ex multis, alios nec meritis nec egregiis virtutibus superante, immo

male sentiente ac agente, adeo vt vituperio, contemtionem, ignominia dignus sit; non statim apparet hunc vitiorum enormiumque delictorum reum esse, aut iniuste agendo leges perfectas violasse, quare existimationem simplicem naturalem seruabit, nec pro infami habendus erit. Par ratio est in eo, qui in ciuitate munera, honores, praerogatiuam ab Imperante collatam amittit, siue dolo et malitia inimicorum animo infesto illi insidiantium, siue sua culpa et negligentia, aut violatione officiorum ciuiliu; hanc enim ob causam actionum securitatem et salutem reipublicae euerterentium, aut habitum intensiorem violandi leges ciuiles commonstrantium nondum accusandus foret. Proinde iura et bona fama ciuis ei manebunt, licet non sit ciuis honoratus, nec priores in ciuitate partes teneat.

§. XXXXIII.

Quum varii sint gradus dignitatis tam naturalis, quam arbitrariae, nec omnibus idem honor eademque existimatio naturalis aut arbitraria debeatur: luce clariora sunt haec consectaria:

1) Existimationis intensiuae naturalis varii sunt gradus, et violatione officiorum naturalium alter magis famam et existimationem intensiuam minuit, et maiorem ignominiam et contemptum contrahit altero. Quo minus enim virtutibus studet, quo plura peccat, quo maiora officia violat, eo minorem laudem meretur et eo maior est eius ignominia.

2) Existimationis intensiuae ciuilis aequae diuersi sunt gradus ac naturalis, siquidem quum dignitates, munera et honorum signa differant, et alter melius de ciuitate mereatur altero, defectus existimationis ciuilis non omnibus eandem vulgaritatem aut turpitudinem parat, et vnus magis contemnitur altero,

3) Qui

3) Qui ob defectum virtutum nullius est existimationis intensiuæ naturalis, magno nonnunquam et intensiori existimatione ciuili gaudet, siquidem homines vulgares, sapientia, virtute, meritis carentes summos in ciuitate honores adipisci, nonnunquam experimur.

4) Et qui nulla existimatione ciuili gaudet, aut eam amittit, non semper existimationem naturalem intensiuam amisit. Nam haud raro accidit vt homines, eruditione, habilitate, probitate, virtutibus, meritis alios longe antecellentes, nec munera curent, nec ad honores ascendant, immo malitia inimicorum ob virtutes, sanctitatem et actiones laude dignissimas a munere remoueantur.

5) Fieri posse, vt infamia naturalis hominem existimatione intensiuæ ciuili haud priuet, et ciuilitate infamis existimationem intensiuam naturalem habeat, iam supra (§. 41.) ostendimus.

§. XXXIV.

Quoniam supra (§. 25.) de officiis circa famam alterius locuti sumus, non opus est vt vberius ostendamus, quod alios contemnere, ignominia afficere, conuiciari, et bonae illorum existimationi verbis aut factis aliquid detrudere, obligationi nostrae perfectae repugnet. Et quum laesio dolosa existimationis bonae aliorum *iniuria* sit: omnes iniurias tam verbales, quam reales sedulo vt caueamus, perfecte tenemur. Maxima et atrocissima iniuria est, si quis virum iustum declarat infamem, aut factum infamans ipsi imputat.

Si quis inter eos, qui in statu naturali viuunt, bene meritis honorem et venerationem denegauerit, non potest dici iniuriam fecisse, sed duntaxat inhumanitatis, aut si ita loqui licet, inciuilitatis notam sibi contraxisse, quia omnia existimationis intensiuæ fundamenta in se non nisi

ius imperfectum ad habendum ab aliis honorem et venerationem producant; vti recte monet PVFENDORF a). Sed si in ciuitate viro a Principe honorato honorem externum denegaueris, et existimationi ipsius detraxeris intensus: laesio perfecta, et si doloso animo fit, iniuria erit b).

a) l. c. §. XIII.

b) Contentit Entwurf eines allgemeinen Gesetzbuchs für die Preuß. Staaten Th. I. Abth. 3. Tit. 8. §. 430. „Auch der macht sich der Injurie schuldig, der einem andern, welchem er, nach seinen in den Gesetzen bestimmten Verhältnissen, Ehrerbietung schuldig ist, die gewöhnlichen äußern Bezeugungen derselben vorsetzlich versagt.“ §. 432. „Es ist eine Injurie vorhanden, so bald die Absicht, die Ehre des andern zu kräncken, klar ist, wenn gleich die Handlung oder Aeußerung an sich betrachtet, nicht beschimpfend wäre.“

§. XXXXV.

Cuique competere ius honorem suum defendendi, et si existimationi suae verbis aut factis aliquid detrahitur, reparationem damni exigendi, neminem fore qui neget, profus persuasum mihi habeo, nec hanc rem vltiori probatione indigere opinor. Verum enim vero adhuc sub iudice lis est, quibus mediis vti possit existimationem contra aggressorem defendens, vt violationem auertat, et bonam famam conferuet? quando defensio violenta liceat? quanta vi se defendere queat laesus, ne limites iustae defensionis excedat? vtrum, et quando ei competat ius existimationem suam cum interuentione alterius defendendi? Aequae implicita est quaestio: Quibus mediis laesus turbatorem cogere possit, vt damnum illatum reparet et famam violatam restituat? Ad hasce quaestiones non responderi posse, nisi specialiter, nec generalem dari regulam desinientem, quibus mediis laesionem famae imminentem auerendi, aut restitutionem famae violatae quaerendi, laeso ius competat, lubens fateor. Namque damna ex violatione famae orientia haud aequae

que magna sunt. Minus est damnum ex denegato honore aut contemptu, maius ex ignominia et conuiciis, maximum ex iniuriis, et ipsae iniuriae adeo a se inuicem differunt, vt vna sit maior ac atrocior altera. Bonam famam diminuens non tantopere nos violat, ac eam perdens. Qui existimationi nostrae simplici aliquid detrahit et nos infames declarat, magis nos laedit, quam aestimationem intensiuam violans; et quum gradus sint infamiae, damnum ex maiori grauius est quam ex minori. Pro statu, conditione, munere, dignitate personarum, quarum honor et existimatio violatur, differunt violationis comites, et eadem actio iniuriosa, vnius famam perdens, alterius existimationi parum aut minime nocet. Damna ex iniuria orta differunt quoque pro diuersitate personarum honori nostro detrahentium, et quum verba iniuriarum plena vnius silentio et contemptu satis refutamus, honorem perdimus, nisi eum contra alterum, eadem verba loquentem defendamus. Ad hancce differentiam attendens in confesso erit, generatim haud definiti posse, vtrum violenta famae defensio iusta sit, an minus, et quantum vim in defendendo adhibere liceat.

Aequè minus, quibus mediis violata fama nobis vti liceat, vt damnum ex violatione ortum cesset, regula generali determinatur. Praeterea nobis in ciuitate non omnia licent, quae in statu naturali iusta sunt, quippe famam et iura nostra defendere, et laedentem, vt honorem nobis repararet cogere, in ciuitate non nobis, sed magistratui competit. Quare si in statu naturali iustum esset, vt famam atque honorem cum internectione inimici defenderemus, laesionemque imminuentem morte eius auerteremus, nobis in ciuitate magistratui, a quo defendi possumus, subiectis forsan illicitum foret. Nunquam enim in ciuitate violenta defensione vti licet, nisi sup circumstantiis, sub quibus auxilium
magi.

magistratus ad auertendum periculum obtinere, haud positum est in potestate nostra.

§. XXXXVII.

Verfatur in quaestione: An is, qui pro honore et existimatione tuenda, e. g. pro amoliendis alapis et fustium ictibus, caedem commisit, moderamine inculpatae tutelae usus esse videatur? Vt distincte respondeatur, duae a se inuicem separandae sunt quaestiones. *Vna*: Vtrum nobis ius sit, ad amoliendam alapam aut euitandos fustium ictus, hostem nos adgredientem interficiendi? *Alter*: Vtrum haec defensio moderamen inculpatae tutelae vocanda sit?

Antequam ad *priorem* respondeamus quaestionem nonnulla praemittenda sunt. 1) Non de eo quaestio est, vtrum nobis in statu naturali hoc ius competat, de quo nemo dubitabit, sed in ciuitate. Recte GROTIUS ^{a)} ait: „Quanquam inaequalia sunt mors et alapa, tamen qui iniuria me parat afficere, is mihi eo ipso dat ius, hoc est facultatem quandam moralem aduersus se in infinitum, quatenus aliter malum a me arcere nequeo.“ 2) De eo tantum quaeritur, cui iniuste alapae aut fustium ictus infliguntur; cui enim ob vitia, aut quia alios laesit imminet, ius violentae defensionis minime habet. 3) Non sermo est de iis quibus ius resistendi haud competit. Filius qui propter aetatem nondum ex suo arbitrio agere potest aduersus patrem, discipulus aduersus magistrum, feruus aduersus dominum, miles aduersus praefectum, et quiuis cui secundum leges non licet superiori resistere, iure violatae defensionis uti nequit. 4) Si quis ope magistratus alapas aut alias iniurias arcere, aut eas euitare potest, quando de impetu praemonitus domi se continet, in tutiorem locum se recipit, fugam capessit, aut aliud periculo se expediendi medium quaerit, a violenta defensione abstinere debet.

debet. 5) Non quaestio est de iis, quorum fama et existimatio, licet vapulent, nec perditur nec minuitur, quod quidem hominibus vilioris conditionis non solum, sed et nonnullis honoratioribus contingit. 6) Eos interficiendi, qui honori nostro parum aut nihil detrahunt, licet iniurias nobis inferant, potestatem haud habemus; et quanquam moderamine inculpatae tutelae ad defendendum corpus et vitam aduersus ebrium et furiosum vti licitum est, iniustum tamen foret, honorem cum internecone infantis, furiosi, mente capti, ebrii, aut hominis nefarii defendere; famae enim nostrae aequè minus aliquid detrahere possunt, ac canis mordax nos vulnerans.

a) De Iure Belli et Pacis, Lib. II, Cap. I, §. 10.

§. XXXVII.

Haec itaque est quaestio: Vtrum quis in ciuitate alapas aut fustium ictus, quibus famae et existimationi suae iniuste aliquid detrahitur, et quos arcere nequit, nisi adgredientem inimicum interficiat, morte eius auertendi ius et potestatem habeat? quemadmodum cuique est ius corpus et vitam cum internecone insidiantis defendendi, si nulla alia ratione vitam seruare potest.

Mihi quidem haec quaestio neganda esse videtur. Equidem non adsentior GROTIUS l. c.: „Lex Euangelica, inquit, omnino tale factum illicitum reddidit, iubet enim Christus alapam accipi potius quam aduersario noceatur; quanto magis occidi eum vetat alapae effugiendae causa.“ Hanc GROTIUS rationem mihi non sufficere lubens fateor, quum verba Seruatoris ad quae respicit a), de defensione non esse interpretanda persuasum mihi est. Vt ionem iniuriarum vetat Christus, id quod ipse GROTIUS in commentario suo concedit, de defensione autem innocentiae et honoris nullus sermo ei est. Quare Auctor ad hoc praeceptum

G

Christi

Christi prouocare non debuisset, et argumentum nihil probat, quippe longe alia defensionis ratio est, ac vltionis. Praeterea ex verbis sequentibus, quibus Christus litigationes coram iudicio ad defendendas opes interdicit, quas Christianis licere nemo inficias ibit, satis apparet, hanc regulam non omnibus, sed solis Apostolis et primis Christianis datam esse, qui vtique sibi melius consulebant omnes iniurias patienter perferentes, quam vi se defendentes aut coram iudice litigantes *b*).

Nec mihi sufficit argumentum HEINECCII *c*) iudicantis, existimationem et honorem propter iniuriam non amitti, et quia solum periculum vitam aliaque, quae cum vita pari passu ambulant, amittendi, ius nobis dat vtendi inculpatae tutelae moderamine, hic ius violentae defensionis cessare. Equidem dignitas hominis naturalis iniuria non amittitur, sed iniurias existimationem et honorem saepe valde minuere, et fieri posse vt honorem hominis omnino perdant et extinguant, negari nequit. Sume tibi exemplum de praefecto militum aut alio viro honoratiore fustibus aut colaphis caeso; nonne existimationem et famam suam valde deminutam, ne dicam prorsus perditam sentiet? Immo, non existimatio sola, sed et dignitas arbitraria, aut si maui externa, propter ignominiam, qua quis afficitur, amitti potest, nec desunt exempla virum honoratum, quoniam atroces expertus est iniurias, a munere remotum esse. Nihil itaque dicit argumentum HEINECCII, nec aliud probat, nisi nullum violentae defensionis iure gaudere, cuius existimatio iniuriis haud minuitur; de quo tamen non est disputatio.

Gravius est argumentum, quo ipse HEINECCIUS quoque docet, quaestionem motam esse negandam: Quod in statu ciuili non desint legitima iniuriam vindicandi media. Quae si non desunt in ciuitate: famae et existimationi laesi non orietur damnum, quando opem magistratus

stratus quaerit, a quo vindictam sperare potest; et quia ratio cessat, ex qua ius defensionem ad caedem vsque eius qui prior adgressus est, porrigendi ortum trahit: ad amoliendas alapas et fustium ictus aduersarium interficere, nemini leges permittunt. Non ita se habet, si quis vitae nostrae insidiatur, siquidem damnum irreparabile nobis imminet; nec poena quidem magistratus damnum posset reparari, si membra nobis mutilarentur, quare leges violentam defensionem permittunt. Honor autem et existimatio quum possint reparari: talis defensio ad propulandas iniurias non locum habet, qualis aduersus eum, qui corpus et vitam adgreditur, licita et iusta erit. GVNDLINGIVS narrat *d*), legibus Danicis manum ei amputari, qui alteri alapam infligit, quam poenam leges Mecklenburgicae aequae ac illae minantur, si quis baculo aut flagello alterum caedens pacem publicam turbauerit *e*); et legibus Borussiae ei a carnifice alapam infligi et ad munitiones eum damnari. Nec opus videtur tanta poena, ut honor laesi repareretur, siquidem laedens incarceratione, ergastulo aut alia poena qua afficitur, laeso ita satisfacit, ut huius existimationem perdi aut minui affirmari nequeat, praesertim si declaratione laedentis coram iudice, et ipsius iudicis, honor et existimatio laesi defendatur *f*).

a) Matth. V. 38. Audistis quod dictum sit: Oculum pro oculo, et dentem pro dente, 39. Ego vero dico vobis: Non resistendum esse malo; sed quicumque tibi impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, diuerte etiam illi alteram. 40. Et si quis te velit in ius trahere, et tunicam tuam auferre, permitte illi etiam pallium.

b) Vid. HEVMANNVS ad h. l. Nonnulli Interpretes in Bibliis anglicanis concedere quidem volunt, vindictam ope iudicis hoc loco interdictam esse, de sola vltione priuata verba interpretantes. Sed quum probati nequit in commate 38. de vltione priuata esse sermonem; verba sequentia sine causa de sola vindicta priuata intelliguntur. Maximum regulae seruatoris lumen verba Paulina I Cor. VI. 7 praefert.

c) Element. Iur. Nat. Lib. I. §. 187.

d) Discours etc, Cap. IX, §. II.

- e) Herzogs Carl Leopold Duell-Edict 1715. §. 8.
 f) Sapientes de reparando honore leges inuenies im Entwurf eines allgemeinen
 Gesetzbuchs für die Preuss. Staaten Th 1. Abth. III. Tit. VIII. Abschn. IX.

§. XXXXVIII.

Verum enimvero quando verisimile est, inimicum ulterius in laesione esse progressurum, nisi alapae aut fustium ictus summa vi amoliantur, hinc quando corpori et vitae periculum imminet, nec opem magistratus implorare, aut eius praesidium sperare potest qui est in periculo: ipse se defendat a laesione, et urgente necessitate, mortifera defensione ad arcendas alapas aut alias iniurias utatur. Ego quidem improbare nequeo defensionem, dicam celebris an famosi illius TRENCKII, Amstelodami manum amputantis homini, ex petulantia ei genam cultro dilacerare intentanti; et si trucidasset hunc improbum, nec alia ratione eum repellere potuisset, mihi non reprehendendus videretur. Fingas porro, licet rarissime accidere possit, honorem eius, cui laesio et damnum imminet, a magistratu et Principe haud posse reparari, quin ei pariter liceat periculum quouis modo propulsare, et defensionem ad caedem usque eius, qui prior violentas adhibuit manus porrigere, non dubito, quia in aucipiti illo periculo quaelibet honesta est ratio expediendae salutis.

Haec mea sententia legibus nouissimis sapientis Borussiae Legislatoris conueniens est a), et aequae doctrinae Evangelicae, ac cum principii rationis consentit. Equidem praecipuum Christi vindictam priuatam interdicit, et magistratus esse docet ius et officium, damnum quod tulimus, in eos qui existimationem nostram violarunt, vindicandi, quare ad obtinendam damni reparationem et satisfactionem eius opem implorare tenemur. Pariter magistratus est subditos defendere iisque securitatem parare, hinc qui se ipse vi defendit, quum tamen opem
 iudicis

judicis obtinere possit, magistratum in iure ipsius interpellat, quod quidem Christianis serio est prohibitum. Nemini autem iura naturalia praecepto Evangelii adimuntur, et saluum manet Christianorum tam, quam reliquorum hominum ius et officium honorem aequè seruandi ac vitam; nec vnica lex Evangelica adferri poterit, quae Christianis interdiceret, quia urgente periculo, defensionem vitae, corporis et honoris ad interuersionem vsque adgredientis porrigant, quando opem et praesidium magistratus obtinere nequeunt.

- a) Entwurf eines allgem. Gesetz. Th. I. Abth. III. Tit. VIII. Abschn. VIII.
 „Die Nothwehr findet nur statt, wenn der angreifende Theil mit Thätlichkeiten den Anfang gemacht hat, und die obrigkeitliche Hülfe zur Abwendung, oder völligen Vergütung des Schadens nicht erlangt werden kann — Nur zur Vertheidigung des Lebens, der Gesundheit, der Ehre, und des ganzen, oder doch eines beträchtlichen Theils seines Vermögens, darf jemand die Nothwehr bis zur lebensgefährlichen Beschädigung des Angreifenden ausüben.“

§. XXXXIX.

Ad alteram quaestionem §. 47. motam nobis adhuc respondendum est: Vtrum moderamen inculpatae tutelae vocandum sit, si quis ad amolendas alapas, aut arcendos fustium ictus adgredientem occidat? Vereor ne omnis disputatio in logomachiam degeneret, nisi quaestionem verbis definiant, qui de ea controuersiam inter se habent. Vocabulum moderamen inculpatae tutelae vel quancunque defensionem corporis et vitae, siue iusta sit, siue iniusta, significat; vel ius corpus et vitam violenter et adeo cum interuersione inimici defendendi. Si hic est vocis significatus: nulla defensio honoris moderamen inculpatae tutelae erit, nisi iusta sit et legibus licita. Nulla itaque hoc nomine appellanda est, praeter eam, quam §. 48. delineauimus, pro caede enim, cuius poenas delinquens magistratui dabit, omnis reliqua occisio hominis potius habetur. Quando autem de eo est disputatio; vtrum defensio honoris, praeter

fertim ad alapas et baculi ictus auertendum, aequae ac defensio corporis et vitae, moderamen inculpatae tutelae vocari possit: ego quidem hoc affirmanti haud contradicam. Equidem honorem defendit, non corpus et vitam, alapas amolens, et licet ex parte verum sit, honorem et vitam pari passu ambulare, ambo tamen a se inuicem differunt. Interim quia corpus tuetur, qui alapas aut verbera arcendi operam nauat, immo ex verberibus periculum vitae oriri potest: ego quidem cum eo qui nomine M. I. T. utitur, non disputabo.

§. L.

Multum diuersa est interrogatio, ad quod tamen non semper attenditur, si de laesione praegressa quaeris: Vtrum, cuius honor alapis, baculi ictibus aut aliis iniuriis violatus est, ius habeat laedentem vulnerandi, immo de medio tollendi, ut honor violatus reparetur? Quodsi hanc violentiam quoque inter moderamina inculpatae tutelae referres: omnia misceres, quoniam iam non de defensione, sed de damni reparatione quaeritur. Ipsa autem quaestio, quando de iis sermo est, qui cum aliis in ciuitatem coaluerunt et magistratui subiecti sunt, omnino neganda est. Nulla enim vindicta priuata excusari potest, nisi adeo in continenti, ut dicunt, exerceatur, ut deliberationi nec locus nec tempus sit, et laesus efferuescente stomacho primis animi iracundia ardentis motibus obtemperet; necdum hic aestus ultionem priuatam prorsus excusat, sed poenas tantum mitigat. Sed si quoddam tempus laesionem inter et ultionem intercesserit, et laeso potestas data fuerit actiones secum in animo considerandi: nullo negotio defendi aut excusari potest, quando ipse laesus iniuriam inferentes uiscitur. Sic enim interpellat Principem et iudices in iure, quod illis solis competit, de delinquentibus supplicium sumendi, et ciuibus laesis damni reparationem atque
fatis.

satisfactionem conciliandi. Quoniam non desunt in ciuitate media, vt ope iudicis honor ei reparetur, cuius fama et existimatio violatae sunt: eo magis poenam meretur, qui violatorem non adducit in iudicium, nec auxilium magistratus implorat, sed ipse laesionem in eum animaduertit; et si quis ad reparandum honorem laedentem occideret, magistratui merito poenas latronis daret. Omnia forent perturbata, nulla esset iustitia, nulla securitas in ciuitate, si cuius ex sententia animi exacerbati laedentem punire liceret. Sed haec res adeo est manifesta, vt pluribus eam argumentis docere aequè superuacaneum foret, ac vberius ostendere, ciuibus Christianis vindictam priuatam praecepto Evangelii iteratis vicibus grauitè esse prohibitam.

Sed vtique magistratus est id curare, vt laesus sufficientem satisfactionem et plenam honoris restitutionem obtineat; nisi enim hoc legibus constitutum fuerit, ipse laesus, ne omnino infelix euadat, iniuriam inferentes vlscisci necesse habet a). Quare non satis laudandas esse opinor nouas leges Regis Borufforum, quae non solum de reparando laesi honore tantopere laborant, vt non crederem existimationem viri, licet grauissimas iniurias et contumelias perpeffus sit, aliquantum minui, si secundum has leges sententia dicitur; sed et id volunt, vt peculiare quoddam *honoris tribunal* erigatur, coram quo de rebus, ad violationem honoris pertinentibus agendum sit.

a) GLAFEY Recht der Vernunft p. 434.

§. LI.

Ex dictis satis apparet, quid *de duellis* sentiam, ad reparandum honorem initis. Iniusta illa puto et prorsus illicita, atque seuera animaduersione digna, quoniam iuri Principis et magistratus aduersantur. Nec abominanda solum sed et ridicula est opinio, honorem nostrum laesum reparari, quando nos periculo mutilationis membrorum et vitae offerimus, aut in discrimine versamur eum occidendi, qui laesione quadam, siue vera, siue imaginaria, existimationem nostram diminuit, cuius ta-

men

men reparationem ope iudicis obtinendi nobis data est facultas, nisi violatione priuata praesidio magistratus indigni fiamus. Propterea omnes Principes duella seuerē et sub graui poena prohibuerunt.

Nulla tamen duella magis illicita sunt, quam inter eos, qui in Academiae litteris student. Plerumque ex causis adeo leuibus oriuntur, vt eas non contemnti, sed vindicanti erubescendum sit. Et si honor cuius Academicus tantopere laesus esset, vt pro atroci iniuria reputari possit, iure tamen suo aduersarium vlcisci nequit, et ope magistratus magis adiuuabitur. Quantopere doleo iuuenes, optimae saepe indolis, ex falsa de honore opinione, quam sequenti tempore ridebunt, sanitatem, et haud raro omnem totius vitae felicitatem perdentes. Quantopere doleo parentes, filios carissimos, de quibus optima quaeuis sperant, Academiam mittentes, vt viri docti et sapientes euadant atque salutem communem olim promoueant, si hic est fructus omnis curae paternae et factorum sumtuum, quod filii ab Academia relegentur, et poenas dent, quae illis per totam vitam erunt opprobrio et fortunae impedimento; immo quod ex morte illorum ferro necatorum grauissimum vulnus accipiant. Et quantopere odi improbos illos, nefarios dicerem homines, instigationibus suis alios ad duella incitantes. Quum SERENISSIMI PRINCIPES nostri seueras leges contra duella promulgauerunt, quisque sapiens inter nos cauebit, ne huius delicti reus fiat ^{a)}.


Sancta autem sit lex magistratui de eo videre, vt viris iuuenibus litterarum studiosis aequae ac reliquis honor violatus reparetur, nec eorum existimatio, quando vindicta priuata atque duellis abstinent minima ex parte minuatur. Quousque enim haec prouidentia magistratui non curae cordique erit, nullae leges Imperantis duella cauebunt.

Plura de honore apud Deum, gloria nominis post fata, aliisque honoribus essent dicenda; sed ne librum scribere videar, de his alia data occasione. Primas tantum lineas argumenti, alio forsan tempore vberius explicandi, ducere animus mihi erat, quare dicta sufficiant.

^{a)} Herzogs CARL LEOPOLD Duelledict d. d. Rostock den 27. Martii 1715. Publication des Reichs-Duelledicts. d. d. Suerin den 20. Sept. 1737. Herzogs CHRISTIAN LVDEWIG erneuertes Duelledict d. d. Suerin den 20. Oct. 1750.

E R R A T A.

p. 5. l. 10. *bonamque existimationem lege bonamque de eo fouemus existimationem.* p. 11. l. 6. *comparanda lege comparanda.* p. 11. l. ut *flagitia commendant lege flagitia aliis commendant.* p. 15. l. 8. *praeparare lege parare* p. 22. l. 20. *ab lege ob.* p. 23. l. 4. *honores externi deficit comma.*



satisfactionem conciliandi. Quoniam non desunt
ope iudicis honor ei reparatur, cuius fama et exist
eo magis poenam meretur, qui violatorem non
nec auxilium magistratus implorat, sed ipse laesio
uertit; et si quis ad reparandum honorem laedent
stratui merito poenas latronis daret. Omnia fore
esset iustitia, nulla securitas in ciuitate, si cuius
exacerbati laedentem punire liceret. Sed haec re
vt pluribus eam argumentis docere aequae superuaca
rius ostendere, ciuibus Christianis vindictam priu
gelii iteratis vicibus grauitate esse prohibitam.

Sed utique magistratus est id curare, vt lae
factionem et plenam honoris restitutionem obtinea
bus constitutum fuerit, ipse laesus, ne omnino inf
inferentes vlcisci necesse habet a). Quare non sati
nor nouas leges Regis Borufforum, quae non solu
honore tantopere laborant, vt non crederem existi
grauissimas iniurias et contumelias perpeffus sit, a
secundum has leges sententia dicitur; sed et id
quoddam *honoris tribunal* erigatur, coram quo
nem honoris pertinentibus agendum sit.

a) GLAFEY Recht der Vernunft p. 434.

§. LI.

Ex dictis satis apparet, quid *de duellis* sentian
norem initis. Inuisa illa puto et prorsus illicita,
uersione digna, quoniam iuri Principis et magistra
abominanda solum sed et ridicula est opinio, hono
reparari, quando nos periculo mutilationis memb
mus, aut in discrimine versamur eum occidendi,
sive vera, sive imaginaria, existimationem nostram

dia, vt
e sunt:
dicium,
animad-
magi-
nulla
a animi
uifesta,
ac vbe-
o Euan-

m satis-
oc legi-
iuriam
fle opi-
do laesi
i, licet
nui, si
eculiare
iolatio-

um ho-
animad-
r. Nec
laesum
e offeri-
quadam,
cuius ta-
men

